446

H

155

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

DISPUTATIO JURIDICA *INAUGURALIS*, DE

JURISDICTIONE

Omnium Judicum & foro competenti.

QUAM
DANTE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. PETRI à MASTRICHT,
S. S. Theologiæ & Philoſophiæ Doctoris, & in Academiâ Ultrajectinâ ejuſdem Facultatis Profeſſoris Ordinarii,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ decreto,

Pro GRADU DOCTORATUS ſummiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis, & immunitatibus doctoralibus more majorum ritè & legitimè conſequendis,

Publicè defendere conabitur

ANNÆUS vander SCHUER, J.U.C.
Ad diem Martis 12. Decembris hora prima pomeridiana.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Bibliopolæ:
Anno M DC LXXXII.

446 H 155

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Perilluſtri ac Generoſo

VIRO

Dom. Do. STEPHANO

vander DOES, Toparchæ
de utroque NOORTWYCK LAN-
GEVELT &c. Domino de Offem, ex
antiquiſſimis & præipue Hollandiæ No-
bilibus ad Equeſtrem ordinem & conceſ-
ſus ejuſdem provinciæ Deputato perpe-
tuo, Schilandiæ aſſeſſori, & Abbatiæ
quam vulgo Leeuwenhorſt vocant, Præ-
fecto.

Hæc Studii ſui Juridici Specima
D.D.D: conſecratque

ANNÆUS vander SCHUER.

Auctor.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

JURISDICTIONE Omnium Judicum & foro competenti.

PROOEMIUM.

OBlatâ nobis ab hoc ampliſſimo Senatu quadruplici materia, ut unam ex hac ad interpretandam nobis eligeremus, non ſine ratione veritus fui, lectores, ne, niſi rei magnitudo & præſtantia ſatis abunde per ſe exornata foret, diſputantis ſolertia, quidquam lectu dignum ac auditoribus gratum proferre potuiſſet, qua propter hanc de Juriſdictione & foro competenti materiam, utpote utiliſſimam ac nobiliſſimam nobis explicandam ſumpſimus, ut ſi non noſtra induſtria, ſaltem cauſæ æſtimatio hanc diſputationem adornaret atque illam diſſerenti gloriam ac laudem adderet; magna ac ardua tentata fuiſſe. At res ipſa quam in manibus habemus, longâ Lectores præfatïone detineri non patitur; eam ipſam aggredior.

CAPUT I.

DE JURISDICTIONE.

THESIS PRIMA.

SIve igitur à Jure & dico (ut plerique DD.) ſive a Jure & ditione dicatur Juriſdictio diſputare non lubet, quoniam res non verba explicanda nobis veniunt & perclarum ac evidens ſit, & ſcribendi modum & rei ipſius ſignificationem hanc potius, quam aliam derivationem admittere. Multo ſane utilius erit ſcire quid denotet Juriſdictionis vox, ne diverſa ſigni-

ficatione vocis falſi ſemper rem ipſam ignoremus, quæ variæ ac multiplices admodum ad hæc duo capita potiſſimum referri poſſunt, nimirum quod ſint vel *Juridicæ* vel *Vulgares*.

T. II. *Vulgares* appello omnes, quæ ab arte loquendi in Jure noſtro ſunt alienæ, quæ quoniam in cognoſcenda hac illuſtri materia exiguum tantum uſum præſtabunt, unam aut alteram tantum proferendam exiſtimo: Inter cæteras nihil magis more hodierno uſitatum, quam per Juriſdictionem denotari regionem, quatenus per eam exercetur Jus: Belgice **hooge en laege Jurisdi tie** / quæ & in hiſtoricis paſſim occurrit ſignificatio, ſic *Plinius* (a): *ab ea Doris incipit, ſed prius terga & mediterraneas Juriſdictiones indicaſſe conveniat.*

a. Plin. l. 5. Nat. Hiſt. c. 20.

Porro & interdum pro ſumma poteſtate Regis, ſic Seneca: (b) *quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea Juriſdictio eſt.*

b. Sen. 1. de clement.

Noſtris præterea temporibus maximo abuſu vocis merum imperium Juriſdictione continetur; at hæc Juridica non ſunt. Habet tamen quoſdam Jus noſtrum hujus vocis uſus, at paucos, qui porro noſtra inſpicienti ſuo loco cum facili interpretatione ultro occurrent.

T. III. Juriſdictionem igitur in mediis Juriſconſultorum controverſiis atque contentionibus definio, *notionem Jure magiſtratus competentem*; Cujacii (c) operâ utor, qui revera mihi rem acu tetigiſſe videtur, ut merito ſe nullum unquam meliorem compoſuiſſe definitionem ipſe prædicet. Genus ipſi eſt notio, quia ſcilicet eſt latior ſuo definito; nam & Civiles & (d) criminales cauſas comprehendit, *ex omnibus enim cauſis, de quibus vel Præfectus urbi vel Præfectus prætorio, itemque Conſules & Prætores cæterique Romæ cognoſcunt magiſtratus, notionem dicitur habere præſes* (e), imo & cognitionem & Juriſdictionem comprehendit (f), ideoque cum prætor dixiſſet alicubi ubi *de ea re Juriſdictio eſt*, corrigit eum Ulpianus (g): *ac melius*, inquit, *dixiſſet, cujus de ea re notio eſt, notionis enim nomen etiam ad eos pertinet, qui Juriſdictionem non habent, ſed de alia quavis cauſa notionem.*

c. Cujac. parat. h. t.

d. L. ait prætor. 5. pr. d. re Jud. & l. notionem 99. d. V. S. & l. 1. §. initio 4. de off. præf. urb.
e. L. ex omnibus 10. de off. præſ.
f d. l. 99. d. V. S.
g d. l. 5. d. re Jud.

T. IV. Notio igitur nihil aliud eſt, quam *de quâ vis cauſa cognitio* (h), eaque hoc ſenſu, nimirum ut in Juriſdictione accipitur, eſt duplex vel *nuda* vel *non nuda*. *Nuda* eſt, quæ in mera cognoſcendi facultate abſque ulla vi ac neceſſitate parendi Judiciis ſita eſt (i), qualis competebat Judicibus pedaneis de quibus infra (k).

h d. l. 5. Juncta. d. l. 99.
i arg. l. à divo Pio 15. pr. d. re Jud.
k T. 33.

Vel

Vel non nuda eſt, cui adjuncta eſt poteſtas vi officii ſententiam exſequendi, qualis Magiſtratuum maxime Romanorum & etiam Municipalium (l): atque hæc eſt ipſa Juriſdictio.

Th. V. Defenſo jam definitionis genere, multo facilius & ipſam differentiam in tuto collocabimus, quâ ſatis notio diſtinguitur ab aliis ſuis ſpeciebus, verbis nempe: *Jure Magiſtratus competens.* Jure Magiſtratus dicuntur competere, quæ vi & ratione officii Magiſtratuum ſeu more majorum, (m) exercentur. Ita ut ſatis ſuperque poſſit his verbis dignoſci ab omnibus aliis notionibus, quemadmodum competunt vel Judicibus pedaneis, vel iis, quæ ſpeciali legis ſive SCti ſive principis beneficio ad aliquem pertinent, quæ Juriſdictionis eſſe aperte ſatis negantur (n). De quibus omnibus ſuo loco. Ordine jam ſingula aggrediamur definitionis capita, ut hanc tam vaſtam ac diſperſam per totum Jus noſtrum materiam commode atque ordine abſolvamus.

T. VI. Defertur igitur atque oritur hoc tam nobile munus ſine ullo dubio, ab eo penes quem eſt in re publica τὸ κυριόν, ſeu ſumma Majeſtas, ſive igitur ille Rex, vel Conſul vel ipſe populus, aut Imperator, ſolus tantum alteri concedere poteſt, nam cum is omnibus rebus in republica ſupereſſe non poſſet, in auxilium ſuum aſſumpſit perſonas quaſdam publicas, quæ vice ſua Jus dicerent. Privatorum ergo conſenſu non datur Juriſdictio (o); non igitur collegio, nam hoc aperte rationi jam datæ pugnaret: quod autem Anaſtaſius dicit (p) de Judicibus artificum ac negotiatorum, ita intelligas, ut non ipſi artifices eos dederint, ſed princeps ex numero artificum, ad ea, quæ ad profeſſiones ac illorum negotiationes pertinent (q); quod adeo verum eſt, ut miles hoc forum declinare non poſſit (r), quia, ut ſcite Valerius Maximus docet (s), *unuſquiſque ſuæ artis auctor & diſceptator eſt ſummus.*

T. VII. Princeps igitur cum ſolus omnia in republica adminiſtrare nullo modo poſſet, aſſumpſit ſibi perſonas, quæ vice ſua Jus dicerent, ut jam dictum eſt, de iis rebus quibus ipſe dicturus fuiſſet; at cum ille quaſdam ſibi cauſas reſervaret, in quibus aut major cura, aut eminentior poteſtas exigebatur, ut in criminalibus omnibus (ideoque in juſſu populi libera adhuc republica in caput civis animadvertere non fuit permiſſum) (t), vel in quibuſdam civilibus, ut datione tutoris, quia pupillorum favor apud Romanos magni ſemper habitus

A 2 fuit,

l L. 29. ad Munic. l. 12. ff. h. t. & l. 3. & 19. §. 1. de tut. & cur. datis.

m Vinn. d. Juriſdict. n. 3.

n L. 1. pr. de offic. ejus cui mand. & l. 6. §. 2. d. Tutel.

o L. 3. h. t.

p L. ult. h. t.

q Vid. Perez. C. h. t. n. 3.

r d. l. ult.

s Val. Max. l. 8. c. 14.

t L. 2. §. 23. d. O. J.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

fuit, & in legis actionibus aliiſque, de quibus infra dicendi occaſio dabitur; inde contigit, ut illa conceſſa Juriſdictionis, quæ princeps vero ſibi retinuerat, ſpecialis permiſſionis, quæ paſſim opponuntur, dicta ſint, illa ac priora dicebantur Jure Magiſtratus ſive officii competere (u), hæc & poſteriora ſpecialiter a principe data (x). At controverſia omnium maxima inter doctores hæc eſt, hi ajunt, hi negant, quâ ut noſquam primum expediamus, preſſius nonnihil eam explicare neceſſe habemus.

u L. 1. pr. de offic. ejus &c.
x d. l. pr. & l. muto. §. 2. d. Tutel.

T. VIII. Diximus modo eum, penes quem erat ſumma Majeſtas quaſdam cauſas ſibi reſervatas, certis perſonis ſpeciali conceſſione dediſſe, quaſdam una cum officio ad Magiſtratus contuliſſe, qui vi iſtius omnia, quæ ad illud pertinerent, peragerent, quæ Juriſdictio dicebatur, ut patet ex eo, quod injuſſu (ut ſupra diximus) populi non erat lege permiſſum conſulibus Jus dicere, nam hanc ſibi poteſtatem reſervarat populus, penes quem erat ſumma poteſtas. Accedit huic jam clarum illud Ulpiani reſponſum (y): *tutoris datio*, inquit, *eſt neque imperii, neque Juriſdictionis, ſed ei ſoli competit, cui hoc nominatim dedit vel lex vel SCtum, vel princeps*; ſi tutoris datio igitur non ex Juriſdictionis, quia eſt ſpecialis legis, ergo multo minus quæ ſpecialis legis ſunt ad Juriſdictionem pertinent. Adde porro ac confer illud Papiniani, qui aperte negat mandata Juriſdictione tranſire ſpeciales conceſſiones; ſin autem Juriſdictionis forent, una cum Juriſdictione tranſirent, quoniam omnem ac univerſam Juriſdictionem mandari poſſe certum: ſit (z) & profecto quod Juris eſt in toto, illud & in ſingulis partibus obtinet (a). Sed audiamus verbo tenus virum: (b) *quæcunque, inquit, lege, SCto, vel conſtitutione principum tribuuntur, mandata Juriſdictione non transferuntur, quæ vero Jure magiſtratus competunt, mandari poſſunt.* Quaſi diceret Juriſconſultus mandata Juriſdictione non transferuntur ſpeciales principum conceſſiones, quia ad eam non pertinent, alioquin ineptum foret ſubjicere, ad differentiam: *cum alias Juriſdictio a præſente mandatur*. Hic enim pergit idem: *Ideoque videntur errare Magiſtratus, quæ cum publici Judicii habeant exercitionem, Juriſdictionem ſuam mandant*; inquiunt adverſarii, ergo publici Judicii coërcitio eſt Juriſdictionis, quia, qui illud mandant, dicuntur mandare ſuam Juriſdictionem. At reverevera errant illi æque ac magiſtratus, nam poſitâ hac oratione, ex ea nullo modo poterit hoc inferri, ſed illud ſolummodo; illos, qui ha-

y L. muto 6. §. 2. de Tutel.

z L. 16. & 17. ff. h. t.
a L. 7. §. adeo 1. de pactis.
b L. 1. pr. offic. ejus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

bent Juriſdictionem, etiam habere interdum publici Judicii coërcitionem, quod & ex ipſis verbis intelligitur, *nam*, inquit, *videntur errare magiſtratus*, id eſt, illi, qui habent Juriſdictionem (hoc enim verbum plenumque de (c) iis accipitur, quoniam Juriſdictio Jure Magiſtratus competit) *qui Juriſdictionem ſuam mandant, dum habeant publici Judicii coërcitionem*, nimirum ad id, ut hæc exercitio tranſeat, nam hoc agebatur in principio. Iniquiſſimum autem foret ipſis verbis inhærere, imo quod magis eſt, ea in pejorem partem accipere, & contra rationem totius juris & mentem ipſius auctoris interpretari: Imo ſapientis non eſt, ſed in civile admodum niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula propoſita, Judicare (d): Videamus igitur ſequentia: *Hujus rei*, paulo poſt pergit, *fortiſſimum argumentum eſt, ut is, cui obtigerit exercitio, poſſit eam mandare, ſi abeſſe ceperit non aliter*, *cum* inquit, *alias Juriſdictio a præſente mandetur*. Quid clarius? Quid apertius dici poſſet? Exercitio *publ. Jud.* ergo non eſt Juriſdictionis, nam cum Juriſdictione opponitur. Stultitiæ ſane mihi videntur inſimulare Papinianum, dum ſecundum illorum ſententiam, modo ajat, modo negat, merum imperium eſſe Juriſdictionis; At dicet quis adverſariorum, hoc non volumus, ſibi contradicere ingenioſiſſimum JCtum, ſed hoc tantum modo partem Juriſdictionis poſſe mandari, modo non, eum affirmare. Beaſti! Salva res eſt, non prævideram profecto. Imo paulo deterius quam paulo ante, nam & præterea inſcientem omnimodo prædicas, quaſi non ſciviſſet univerſam, ac omnem Juriſdictionem poſſe mandari (e), & Juriſdictionis eſſe merum imperium, dum paulo poſt dicat, Juriſdictionem transferri poſſe, non merum Imp. (f). Sed objicient: *ordinaria* poteſt transferri, non *Extraordinaria*, cujus eſt merum imperium: Cujas? quorſum hi termini? Nihil equidem intelligo, quaſi vero illos ignoraſſet, aut oblitus eſſet ſaltem Juriſconſultus celeberrimus, imo mihi crede utrumque verum eſt & ignoravit & oblitus eſt: profecto ſi vitæ redderentur iſta præclara ingenia, iſtud novum ex ultima Africa proveniſſe tam a juris ratione alienum monſtrum exiſtimarent, de quo ne verbum quidem, quotquot Digeſta continent, Juriſconſulti proferunt. Fortaſſis quoque Ulpianus (g) neſcivit nobilem hanc Juriſdictionis diviſionem. Proh dolor! Nec quiſquam Juriſconſultorum unquam quidquam illius meminit; nec nos

c Vide Th. 5.

d L. 24. d. LL.

e d.l.16. & 17. ff. h. t.

f §.1. d.l.1. d.offic. ejus.

g d. l. muto. 6. §. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

meminiſſe volumus. Concedunt tamen plerique doctores eam propter facilitatem docendi ſecundum illud Logicorum, qui bene diſtinguit bene docet, ſed male diſtinguitur, ſi nullo Jure confirmata diſtinctio eſt.

T. IX. At hæc inveterata nimis opinio eſt, quam quod tam brevi ac paucis evelli ac labefactari poſſet. Omne ſcrupulum amoveamus, ac fondamenta convellamus, ut ultro corruat hæc ſententia: ſunt qui, exiſtimant multis legibus hanc opinionem firmatam eſſe, quoniam non uno loco (ut hi putant) Juriſdictionis vox etiam ad ea, quæ ſpeciali lege competunt, extenditur, & primo quidem ad merum imperium. Poſſemus omnibus una quidem reſponſione ſatisfacere, nimirum illis locis valde improprie loqui JCtos, nam hoc verum, nunquam proprie locutos fuiſſe ita Romanos, de quibus omnia vide infra (h). Obſtat igitur 1. Quod Ulpianus inquit (i) *cum pleniſſimam autem Juriſdictionem habeat proconſul, omnium partes, qui Romæ vel quaſi Magiſtratus, vel extra ordinem Jus dicunt, ad eum pertinent.* Reſpondeo lex non loquitur de Imperio mero, ſed de Juriſdictione ſolummodo, & verba *extra ordinem*, non intelligenda ſunt de extra ordinaria Juriſdictione, ſive de iis, quæ ſpeciali lege competunt, ſed de magiſtratibus, qui extra numerum conſtitutum dantur, veluti præfectus annonæ & Vigilum, qui extra ordinem dicuntur (k) conſtituti, non quia Juriſdictionem ſuam mandare non poterant, aut ſua ſibi ſpeciali competerent lege; ſed tantum cum omnibus ſupereſſe non poterant magiſtratus, partem illorum Juriſdictionisin iſtos conferebatur, qui eodem modo in ea parte ac magiſtratus ſoliti erant in toto, Jus dicerent; ideoque natura Juriſdictionis non mutabatur, ſed manebat eadem & omnes per conſequens effectus Juriſdictionis prioris habuit, & hic jam proconſul affirmatur, omnes illas partes gerere atque ſuo officio adminiſtrare. Nec obſtant magis verba ſequentia; *Ideoque majus imperium habet omnibus poſt principem*; nam ſignificat illic imperium poteſtatem eminentiorem, quæ revera in illo erat, nam omnibus Juriſdictionum partibus ſimul fungebatur.

2. Nec obſtat, quam ſupra diximus phraſin (l) Jus dicere, etiam ad capitalia extendi, nam primo latius patent verba Jus dicere, tranſigere, agere, conferre &c. (m), quam verbalia Juriſdictio

h T. 1. c. 2.
i L. 7. §. cum 2. & l. ſeq. de offic. proconſ.
k L. 2. §. 33. d. O. J.
l Vid. T. 5.
m Vid. Vinn. c. 1. n. 2. h. t.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

dictio, tranſactio, actio, collatio, & ſecundo teſtantur quidam hunc loquendi modum nunquam tuliſſe puriorem latinorum ſermonem (n), ſed poſt demum uſitatum fuiſſe, cum mutari paulatim inciperet.

3. Nec obſtat, quod idem de cognitione ſupra tranſactionem de alimentis teſtamento relicitis dicit, quæ ſpeciali lege competit, ex *hac cauſa Juriſdictionem mandari non poſſe* (o), nam nota illum non dicere, ejus Juriſdictionem mandari non poſſe, ſed ex hac cauſa Juriſdictionem mandari non poſſe, id eſt; mandata Juriſdictione hæc cauſa non tranſibit. Adde quæ ſupra diximus (p).

4. Nec obſtat quod prætor in Edicto alicubi dicit (q): *cui ea tutela data erit ab eo, cujus de ea re Juriſdictio eſt*; Nam hæc ultima verba ita intelligas: *cujus &c.* id eſt, cujus Juriſdictioni hæc tutelæ datio eſt adjuncta, nam, plerumque etiam, ut dictum eſt (r), concedebatur illis, qui alicui Juriſdictioni præerant (s), & ita Juriſdictionis alicujus eſſe dicuntur, non quatenus ſint de natura ejus, ſed a principe adjuncta ei, qui Juriſdictioni præeſt, vel dic potius Juriſdictionem illic nihil aliud ſignificare quam notionem, quod interdum feciſſe Prætorem dictis jam ſupra liquet (t).

5. Omnium tamen importuniſſime obſtat, quod Marcianus (u) refert: *omnes proconſules, ſtatim quam Urbem egreſſi ſunt, habent Juriſdictionem, ſed non contentioſam, ſed voluntariam, ut ecce manumitti apud eos poteſt &c.* Hic referuntur legis actiones, quæ vulgo ſpecialis legis habentur ad Juriſdictionem & quidem voluntariam: At illis reſpondemus, quod illic nequaquam referantur ad Juriſdictionem, ſed tanquam exempla voluntariorum actuum, qui apud Prætorem æque ac Juriſdictio poterant peragi ſimul ac urbem egreſſus eſſet. Sed dicet quis, hæc plane inſcitia ſumma foret, ſi voluntariæ Juriſdictionis exempla ſubjici deberent JCtus referret, quæ plane ad eam non pertinerent; ſed ſane Marcianus ex profeſſo nolebat agere de Juriſdictione ſive de iis, quæ ad eam pertinerent nec ne, ſed ſolummodo quid proconſul egreſſus urbem agere poſſet, ideoque præter voluntariam Juriſdictionem, addit & ſubjicit actus quoſdam ejuſdem naturæ; quæ una cum ea exerceri poſſunt.

Sunt etiam, qui exiſtimant, referente Vinnio (x), omnes leges actiones ſaltem in Magiſtratibus Romanis fuiſſe veræ Juriſdiſdictionis

n Vide infra. c.2. T.1.

o L.8. §. ſed nec 18. de tranſact.

p T. 8. & illic l. 1. de offic. ejus

q L. cui eorum 3. pr. de poſtul. & l. 3. §. 5. Judic. ſolvi.

r Vid. T.8.

s arg. d. l. 8. §. 18. de tranſact. & l. 1. pr. d. offic. ejus & paſſim.

t Vid. omnino T. 3. & illic l. 5. d. re Jud.

u L. 2. & 3. d. off. proconſ.

x Vinn. ad h. t. c. 8. n. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

ctionis ac pariter Jure Magiſtratus competiſſe, ſingulari tamen cum reſtrictione, ne mandarentur, atque inde contigiſſe, ut iis, quæ ſpecialiter tribuerentur, annumeratæ ſint, Magiſtratibus tamen aliis per ſpecialem legem inhæſiſſe (y), quod ſi verum, nulla foret hæc oppoſitio, nam tum ad Juriſdictionem, ſaltem certo reſpectu referri poſſent legis actiones.

Nec magis obſtabunt verba ſequentia Marciani (z): *nec apud Legatum Proconſulis manumitti poteſt, quia non habet Juriſdictionem talem.* Eadem autem eſſet reſponſio & præterea etiam hic pro notione poſſet uſurpari Juriſdictio, vel denique: quia non habet Juriſdictionem talem, id eſt, quia ejus Juriſdictioni non eſt adjuncta legis actio, nam certis magiſtratibus eam datam ex lata lege fuiſſe unicuique facile conſtare poteſt (a), ita ut officio magis adjuncta quam perſonæ videretur.

X. En jam proſtrata ſine ullis viribus jacent argumenta, quæ primo aſpectu quantivis pretii unicuique videri potuiſſent, at quoniam omni ratione deſtituta, ac reipublicæ regendæ modo ac formæ contraria erant, ideo refellere ea ac funditus delere magni laboris non fuit. Multo porro facilius intricatæ huic materiæ nos expediemus, quoniam ea, quæ falſo Juriſdictioni adſcribebantur, a mota ſunt, ac ea tantum retenuimus, quæ ſine detrimento rei tolli non poterant. Omnis igitur notio tautum quæ Jure Magiſtratus competit eſt Juriſdictio, & omnis notio competit Jure Magiſtratus, quæ ſpeciali lege non differtur, cujus exempla ſunt: cognitio ſuper alienatione prædiorum minorum (b), cognitio ſuper tranſactione de alimentis teſtamento relictis (c), ſuper manumiſſione à minore 20. annis facienda (d), tutoris datio (e). Huc etiam referenda videtur Judicis dandi licentia, quæ, ut Paulus refert, in Magiſtratibus provincialibus eſt ſpecialis legis (f), in Magiſtratibus autem Romanis Juriſdictionis eſt (g): quidam etiam huc referunt legis actiones (h) quod an temperandum ſit ex ſuprà dictis (i) nihil intereſt. Major lis eſt de tutoris datione & quidam negant aperte eam ſpeciali lege concedi, quod an verum ſit videamus. Objiciunt. 1. Illam referri ad officium Jus dicentis (k): at hæc oppoſitio nulla eſt, quoniam Jus dicentis verbum etiam complectitur ea, quæ ſpeciali lege dantur (l). 2. Opponunt Prætorem dare ſecundum ſuam Juriſdictionem debere (m) tutorem, reſponderi & huic facillime poteſt, quoniam illic verbum, *Juriſdictionis*, ſumitur pro terri-

y Per. l. 1. d. offic. Jurid. l. 21. apud præfectum, de manumiſſ. vind. & l. 1. C. d. vind. libert.

z d. l. 2. §. 1. d. offic. proconſ.

a L. 2. de de manum. vind. l. 1. de offic. Jurid.

b L. 2. §. 1. d. offic. ejus l. 1. d. reb. eor. qui tut.

c L. 8. §. 18. de tranſact.

d §. 4. qui & ex quibus cauſ. manum. lib. non fiant.

e L. 8. de tut. dat. l. 6. §. 2. d. tutel.

f L. 12. §. 1. de Judic.

g L. 3. ff. h. t. & l. 12. d. offic. proconſ.

h Ob l. 3. d. offic. proconſ. l. 1. d. offic. Jurid. l. 8. §. 18. d. tranſact.

i Th. 9.

k L. 1. ff. h. t.

l Vid. Th. 9. n. 2.

m §. 4. Inſt. d. attill. tut.

territorio, ita ut prætor dicatur latius non poſſe dare tutorem, quam Juriſdictionem ſuam exercere poteſt. Objicitur Jus dandi tutores datum eſſe omnibus Magiſtratibus municipalibus (n), quod vero omnibus competit ſpecialiter non competit: imo, inquam, quod omnibus competit ſpeciali lege competit, & ſpecialis legis eſt; jam ſpeciali lege competit iis (o): & deinde falſiſſimum eſt omnibus competere, nam quod omnibus Magiſtratibus Municipalibus conceſſum eſt omnibus non eſt conceſſum, ſed ſpecialiter, omnibus enim præfectis Ægypti conceſſum eſt Jus manumittendi ex conſtitutioni divi Auguſti (p) & omnibus Juridicis adoptio, quæ tamen omnia ſpecialis legis eſſe nemo JCtorum negabit. 4. Opponitur quod mandari poſſit ea, at infra de eo diſputabimus.

n L. 3. d. tut. dat.

o Vid. Fach. lib. 12. Controv. c. ult.

p L. 2. d. Manum. vind.

XI. Jam vidimus & propoſuimus ea, quæ Juriſdictionis non ſunt, ut evidentior ac clarior nobis ea foret, quoniam oppoſita juxta ſe invicem poſita magis eluceſcunt, porro jam cum in Juriſdictione cognoſcenda laboramus, ut intus atque incute cognita nobis fiat, duos in ea gradus percipere oportet. Alter continet ea, in quibus poteſtas, ac ſplendor Judicis magis elucet; alter continet, ea, quæ magis in cognoſcendo ac inquirendo cauſas, (quid verbis opus) in notione, quam juſſu & in imperioſiore judicis poteſtate conſiſtunt. Primi gradus exempla ſunt reſtituere in integrum, mittere in poſſeſſionem, dare bonorum poſſeſſionem, quæ omnia dicuntur eſſe magis imperii, quam Juriſdictionis (q), quæ an ad mixtum imperium referri, an ad Juriſdictionem debeant, infra plena manu inquiremus (r). Secundi gradus exempla ſunt cognitio an actio competat nec ne, aliaque hujuſmodi.

q L. 4. ff. h. t. & l. 26. ad Munic.

r Vide omnino quæ infra dicuntur.

XII. Ut nihil penitus prætermittamus, quæ ad Juriſdictionem intelligendam pertinent, dum in cognoſcenda eâ verſamur, dividenda erit Juriſdictio, & primo quidem ratione rerum, quas ea complectitur (rejectis diviſionibus in ordinariam & extraord. & Civelem & Criminelem ſecundum ea, quæ dicta ſunt) in *Voluntariam & contentioſam.* Voluntaria eſt *ea, quæ inter volentes exercetur*, & verſatur, circa eas cauſas, in quibus nulla fit contradictio, vulgo ad eam duo rerum genera referuntur. In illis nihil niſi judicis approbatio & auctoritas requiritur, & in tranſitu atque extra territorium fieri poſſunt, quæ perpetua, ut falſo quidam docent, voluntariæ Juriſdictio-

s arg. l. 2. d. off. Proconſ.

 nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

nis differentia non eſt, (t), in his cauſæ cognitio deſideratur major, major, inquam, quia in omnibus aliqua cognitio fieri debet, nam ſive fiat poſſeſſio bonorum decretalis, ſive fiat adoptio in utroque caſu aliqua cognitio neceſſaria eſt, nimirum in adoptione, an poſſit adoptare pater, an adoptari filius; major tamen in poſſeſſione bonorum, an nimirum competat ea ad quæ major ſine dubio ex igitur notio. Ad voluntariam Juriſdictionem in genere porro refertur, poſſeſſio bonorum decretalibus (u): eo etiam referenda videtur Judicis dandi licentia (x), & alia multa, nimirum quotiens inter volentes exerceri aliquis actus poteſt, ut donationis, quæ ſummam 500 aureorum excedit, & teſtamenti inſinuatio, oblatio pecuniæ in Judicio &c. (y), quæ omnia voluntariæ Juriſdictionis eſſe audacter auſim aſſerere; arcte enim nimis, mea quidem ſententia, à DD. circumſcribitur Juriſdictio voluntaria. Certo etiam reſpectu ad Juriſdictionem, ſi procedat, ut nos admodum veriſimiliter poſſe exiſtimamus, Doctorum quam ſupra retulimus (z), opinio; actiones legis extendi poſſe non contradico; alias enim puto huc (a) adduci magis ad Juriſdictionem Volunt. Illuſtrandam, quam conſtituendam ejus naturam, inter exempla voluntariorum actuum, in quibus Sole Meridiano clarius elucet iſta confirmatio auctoritate Judicis facienda, ad inſtar voluntariæ Juriſdictionis, quemadmodum cognitio ſuper tranſactione de alimentis teſtamento relictis (b), cognitio ſuper alienatione prædiorum minorum (c) &c. (d), quibus ſi quis velit tamen addere legis actiones, (legis enim actiones de quibus jam tam ſæpe audivimus, ſunt ſolennitates, quæ lege per aguntur & ideo dicuntur legis actiones tanquam legis actus, & apud Magiſtratus ubi illæ fiunt, dicitur eſſe legis actio (e)) non adverſabor, tamen non alio modo ac de cognitione ſuper tranſactione &c. aliiſque ejus naturæ rebus dictum eſt. Nota hic omnimodo, omnia quæ voluntariæ ſunt Juriſdictionis per accidens poſſe fieri contentioſæ, exempli gratia, cum pater tenetur invitus filium emancipare & dominus ſervum manumittere (f); tum quidem ea emancipatio, quæ antea erat voluntariæ, fit contentioſæ & neceſſariæ Juriſdictionis (g).

T. XIII. Agedum videamus contentioſam Juriſdictionem, quæ inter invitos exercetur (h), de quibus omni die forum perſtrepit, eaque

t Vinn. h. t. c. 6. n. 7.

u L. 2. §. 1. quis ordo in poſſ. ſerv. & l. 4. §. 1. d. offic. ejus.

x arg. l. Ult. d. offic. præf. urb.

y Vid. Struv, h. t. n. 72. & Vinn. c. 6. n. 6. in fin. h. t.

a L. 2. d. off. proconſ.

b L. 8. §. 8. de tranſact.

c L. 1. d. reb. eor. qui ſub tut.

d Vid. ea quæ diximus T. 11.

e L. 4. d. adoption. l. 3. d. offic. proconſ.

f Ut in l. 2. C. d. Epiſcop. audient. & l. fin. quand. quis à par. manum. & l. 1. §. 3. eod.

g arg. dd. l. l.

h Vid. hub. h. t.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

eaque per totum Jus deſuſa non poteſt quempiam latere; Vulgo referri ad eam poſſunt, omnes actiones & quæ actionis loco ſunt, ut miſſio in poſſeſſionem & reſtitutio in integrum (i); huc refer porro tutoris dationem, in quâ licet non ſemper fiant contradictiones, fiunt tamen aliquando & quæ quamvis multum ab ordinario ſtrepitu ac formâ litium differat, feriatiſque diebus peragi poſſit (ut & miſſio in poſſeſſionem & aliæ) (k), nihil tamen hærendum quin ſit contenſioſæ Juriſdictionis. Quod de legitimatione quæritur, ineptum plane ac ridiculum eſt, quoniam nulla ſpecies ejus exigit tribunal, ſed aut princeps ſibi reſervat, aut ſit privatorum voluntate, nimirum per ſubſequens matrimonium, ut recte quidam obſervant (l).

T: XIV. Secundum hæc porro dividitur Juriſdictio in *propriam & alienam. Propria eſt Juriſdictio, quam quis ſuo Jure, non alterius perſonæ, quam cujus eſt ſumma poteſtas, beneficio habet* (m), dicitur hæc propria cum opponitur mandatæ, & prorogatæ Juriſdictioni, quæ alieno beneficio competunt, hæc ſuo Jure, id eſt, non Jure Magiſtratus ſolummodo, nam & ea quæ ſpeciali lege competunt etiam ſuo Jure competunt, quoniam non alterius quam principis aut legis beneficio exercentur, minime tamen Jure Magiſtratus. Propriam igitur Juriſdictionem habent Magiſtratus, utpote quibus ea poteſtas principaliter data eſt (n), ad hoc enim Magiſtratus conſtituti ſunt, ut Jus dicant atque reddant (o), ideoque Juridicundo, tribunali ac Juriſdictioni præeſſe dicuntur (p): nec tantum Magiſtratus ordinarii, verum etiam qui extra ordinem dati Juris publici dicundi cauſa ſunt, ut præfectus annonæ & Vigilum (q); imo & à principe delegati: item Magiſtratuus Municipales (r), quorum Juriſdictio continetur territorio cujuſque Municipii.

T. XV. Altera rurſus Juriſdictio eſt vel *mandata* vel *prorogata. Mandata eſt Juriſdictio conceſſa alteri, ab eo, qui iſtam proprio Jure habet, ut gratis ille vel totam vel partem adminiſtret* (s). Mandata igitur Juriſdictio non competit proprio Jure, ſed mandatur à tali, nec tamen minus Juriſdictionis nomen meretur, nam licet in aliam perſonam collata ſit, manet tamen eadem & ejuſdem naturæ, cujus antea fuerat in Magiſtratu, à quo profecta fuit & non niſi origine ſola à propria differt (t), at quo ad effectum plane eadem ſunt.

i L. 1. 2. 3. ff. h. t.

k L. 2. l. 3. d. feriis.

l Sutholt. h. t. th. 223. & 335.

m Hub. ad ff. h. t. per l. 2. eod.

n L. 6. h. t.

o L. 2. §. 13. d. O. J.

p d. l. 2. l. 12. d. L. L. l. 10. ff. h. t. & l. 1. d. Judic.

q L. 1. §. 1. d. offic. præf. Vig.

r L. 5. d. tut. dat.

s L. more 5. ff. h. t. & l. 16. eod.

t L. 3. §. ult. d. offic. ejus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

T. XVI. Mandare eſt Juriſdictionem exequendam dare (u): mandare autem poſſunt, ut ſatis jam conſtat, illi Magiſtratus, qui ſuo Jure non alieno beneficio Magiſtratum gerunt (x), & tribunali præſunt, atque ideo non Judices pedanei, qui Juriſdictionem nullam habent (y). Non igitur etiam principes, qui proprie non mandant, niſi late ſumpto verbo, ſed injungunt, concedunt, dant (z): non etiam quibus ſpeciali lege, & conſtitutione principum aliqua cauſarum cognitio data eſt (a), nam licet omnimodo ſuo Jure eam exercent, non tamen Jure Magiſtratus, quæ utrimque debent concurrere (b). Sed tamen Magiſtratus extraordinarios, ut præfectus annonæ & vigilium qui præter numerum conſtitutum ſunt, poſſe, nullus dubito per ea, quæ ſupra diximus (c): Poteſt ſic etiam delegatus principis, alias illud vulgatum verum, delegatum ſubdelegare non poſſe; nimirum à Magiſtratu, ſed à principe, qui poteſtatem creandi Magiſtratum habet (d), delegatus, Jure ſuo exercet cauſam, ad quam delegatus eſt, ideoque ejus officium morte principis non finitur, quod futurum, ſi mandato & beneficio alterius ſua obtineret (e), ideoque non etiam, ſi ſibi ſub delegavit, à ſub delegati ſententia non princeps ſed ejus delegatus provocatur (f). Municipales denique Magiſtratus, qui ſuo & Magiſtratus Jure Juriſdictioni ſuæ præſunt, (g) quominus mandent nihil obſtat.

T. XVII. Mandatur autem, a quibus jam diximus, Juriſdictio, prout à nobis definita eſt (h): ergo etiam Judicis dandi licentia (i) nec obſtat quod Ulpianus dicit: *eum, qui Judicare jubet Magiſtratum eſſe oportet* (k); nam Magiſtratum etiam accipe eum, cui mandata eſt Juriſdictio, nam is Magiſtratus loco eſt, & vice ejus fingitur (l). At non tantum Juriſdictio, ſed quod Juriſdictioni firmiter cohæret, & pariter Jure Magiſtratus competit, mixtum imperium mandari poteſt (m), quia ſine eo Juriſdictio explicari nequit. Juriſdictio igitur mandatur tam voluntaria quam contentioſa, modo ea competat Jure Magiſtratus, (quod ſemper hic obſervandum) ut nimirum inſinuatio donationis ſummam 500 aureorum excedens, poſſeſſio bonorum (n), &c. excludimus igitur omnia, quæ ſunt ſpecialis legis (o), etiam actiones in ſpecie, ſive eas retuleris ad Juriſdictionem, ſive non (p), nec obſtat, quod Paulus inquit, *apud legatum ejus manumittere poſſimus* (q); nam, omiſſa reſponſione Duareni

(r)

u L. 3. d. offic. ejus & l. ſolet. 16. h. t.
x L. more 5. ff. h. t.
y Vid. infra.
z L. 6. h. t.
a L. 1. d. offic. ejus.
b d. l. 1. juncta l. 5. ff. h. t.
c Vid. ſupra Th. 9. oppoſit. 2.
d L. 6. ff. h. t. junct. l. 1. de conſtitut. princ.
e d. l. 6.
f L. 5. C. d. Judic. l. un. in fin. C. qui pro ſuâ Juriſdict. l. 1. l. ult. quis & à quo appell.
g arg. l. duum virum 5. C. d. decurion.
h L. 1. d. offic. ejus l. 5. l. 16. l. 17. ff. h. t.
i arg. l. 3. ff. h. t. 13. & 12. d. offic. proconſ.
k L. 13. ff. h. t.
l L. 1. §. 1. & l. 3. d. off. ejus.
m d. l. 1. §. 1 & l. 5. eod.
n L. 4. §. 1. d. offic. ejus.
o L. 1. d. offic. ejus.
p L. 1. C. d. adopt. l. 2. §. 1. & l. 2. d. off. proconſ.
q L. 17. d. Manum. vind.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

(r) & Hottomani (ſ), cum Vinnio (t) legendum cenſemus, pro ejus: Cæſaris, qui ex notis utriuſque error facile potuit naſci; quare & ante a multis dubitatum fuiſſe, refert Gothofredus (u), quod rejicendum omnimodo non eſt, cum certum ſit nunquam veteribus de hac re dubitatum fuiſſe: ſine ſumma igitur injuria hic antinomiam ſtatuere nemo poſſet, abſque ullo dubio nihil proprium habuit legatus Proconſulis, niſi mandata ſibi Juriſdictione (x). Quidni igitur facili correctione emendabimus textum, & veriſimiliter admodum, cum Legatus Cæſaris idem ſit, qui paſſim Præſes Provinciæ dicitur (y) videtur voluiſſe Paulus utriuſque Magiſtratus poteſtatem eandem fuiſſe indicare, ſimul ac urbem fuiſſent egreſſi. Cujacius legit, *ô poſſimus* (z); ſed hæc odioſior foret correctio, quam textus haud facile admitteret, niſi ipſe vir fide digniſſimus affirmaret ipſe ſe duos vetuſtiſſimos Codices habuiſſe, in quibus hæc negatio addebatur, cui fidem habere quis dubitet? licet ea a Roberto reprehendatur (a).

r Duar. ad T. d. offic. proconſ.
s Hott. 2. amic. reſp.
t Vid. Vinn. c. 8. n. 11.
u Ad eand. l.
x L. 13. d. offic. proconſ.
y L. penult. d. offic. præſ. l. 4. d. offic. aſſeſſ.
z Cujac. obſerv. l. 1. c. 1.
a Robert. 1. recept. lect. 29.

T. XVIII. Propter eandem rationem nec tutoris datio mandari poteſt, quamvis interdum Magiſtratus Municipales dicantur admonitione ſive juſſu præſidum tutores dare (b), qui ipſi ex ſpeciali lege hoc Jus obtinebant (c), nam prius quidem Magiſtratus municipales illud Jus uſurpare non poterant, quam rem ad præſidem, cujus priores partes erant, detuliſſent, iſque eam, quod forte aliis negotiis avocaretur, ad eos remiſiſſet atque juſſiſſet, id eſt, admonuiſſet, ut Vinnius reſpondet (d). Quod coincidit cum reſponſione Bronchorſti, quem vide (e). Accedit huic, quod nec Legatus Proconſ. mandata tantum Juriſdictione, exerceat eam poteſtatem (f), nam hic debebat accedere ut cauſa, ſine qua non poterat exercere, licet & ei ſpecialiter data hæc foret poteſtas Oratione D. Marci (g), quoniam ideo iis erat data datio tutorum, quia plerumque etiam eis mandabatur Juriſdictio (h).

b §. 4. d. iſt. d. Att. tut.
c L. 3. d. tut. dat.
d Vinn. c. 8, n. 12. per. l. 1. §. ſi præſes & §. ſi curatores d. Magiſt. conven.
e Bronch. aſſert. 19. ἐαντοφανῶν n. 3.
f L. 13. junct. l. *penult. d. offic. proconſ.*
g L. 1. §. 1. d. tut. dat.
h Vide infra.

T. XIX. Cum diximus Juriſdictionem & quidem omnem poſſe mandari, etiam & ejus gradus poſſe dubium non eſt, ſive igitur ſunt magis imperii, ſive Juriſdictionis, ſive Ordinariæ ſive extraordinariæ cognitiones, omnes mandari poſſunt, modo pertineant ad Juriſdictionem & æque Jure Magiſtratus competant (i), nam ubi eſt eadem ratio; illic & idem Jus eſſe oportet, excipit perperam Cujacius (k) omnes cognitiones extraordinarias, quod tamen Jure merito rejicit Vinnius (l), nam licet forte judex non

i L. 1. & t. t. d. offic. ejus.
k Cuj. l. 7. obſerv. 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

l Vinn. h.t. c. 8. n. 23. m L. quid ſt 24. §. fin. d. minor.

detur in his cauſis, quia neque certæ neque ordinariæ harum erant actiones nec formulæ (m), maxime tamen mandari poſſe placet, & licet à Prætoribus Præſidibus omnes pro Tribunali expediantur, veluti de Salariis, mercedibus, nutriciis, & reſtitutione minorum &c. nam major profecto transfertur poteſtas in mandato, quam judicis datione ac delegatione à Magiſtratibus facta (n), cum & Mandatarius, non judex datus ſententiam exſequi poſſit: Sed an Generali Juriſdictionis mandato hæ cauſæ transferantur dubitant D.D.; negant Vinnius & Struvius (o). At revera cum Macer JCtus inquit, *cognitio de ſuſpectis tutoribus mandari poteſt*, *imo etiam ex mandata generali Juriſdictione*, illic non (quod illi volunt) affirmat quædam in Juriſdictione, ſive eorum, quæ Jure Magiſtratus competunt ſpeciali, quædam generali mandato indigere, ut transferri poſſent; ſed ibi quæritur ſolummodo, an generali mandato cognitio de ſuſpectis tutoribus transferatur, propter hanc, niſi me animus fallit, rationem præſertim: nimirum cum dubitaretur, an cognitio de ſuſpectis tutoribus mandari quidem poſſit, quoniam tutoris datio nequiebat.(p) Reſpondent omnes: poſſe (q) propter utilitatem pupillorum; at cum Juriſdictionis non eſſet tutoris datio, demum dubitari poſſet, an cognitio quidem de ſuſpectis tutoribus ejuſdem foret, & ſic generali Juriſdictionis mandato transferreretur, an ſpeciali potius mandato indigeret, quoniam non videbatur ad Juriſdictionem pertinere: Reſpondent Imperatores Severus & Anthoninus in hunc modum: *cum propriam Juriſdictionem legatis tuis dederis conſequens eſt, etiam de ſuſpectus tutoribus poſſint cognoſcere*, & ſic Juriſdictionis eſſe, ac mandata Juriſdictione tranſire poſſe ſatis evidenter conſtituunt: quod jam inquiat de generali mandato, male accipitur & opponitur ſpeciali, qua nimirum illa aut hac res mandari debet, nam generale eſt mandatum cum tota Juriſdictio mandatur, ſpeciale, cum pars (r), non quod illa aut illa pars expreſſiori declaratione mandari debeat, de quo nuſquam verbum reperitur, multo minus igitur de extraordinariis cognitionibus, quæ eodem modo ac aliæ Juriſdictionis partes mandato transferuntur.

n arg. l. ult. d. offic. ejus juncta l. 18. d. re Jud.

o Vinn. c. 8. n. 14. & Struv. ad T. d. offic. ejus n. 41. per l. 4. §. 1. eod. l. 1. §. 4. d. ſuſp. tut.

p L. 6. §. 2. d. tut. Junct. l. 1. d. offic. q L. 4. ff. ejus.

r L. 16. & 17. ff. h. t.

XX. Mandari poteſt Juriſdictio tam privato (s), quam Magiſtratui (t), modo ſint perſonæ habiles, nec animi nec corporis vitio, quod muneri obeſſet, laborantes (u). An etiam in territorio? Quod dubium

s L. ult. §. 1. d. offic. ejus. t L. 3. eod. u arg. l. 45. d. procur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

dubium omnimodo eſt, at quia mandatarii forte (aut cum fines mandati egreſſus eſſet, aut non ut oportuerat ſuſceptum negotium geſſiſſet) vitium corrigi adeo facile non poteſt, cum alienæ foret ſubjectus Juriſdictioni, ſtatuendum potius, niſi in territorio habitanti Juriſdictionem non poſſe mandari (x). Nec obſtat quod Ulpianus dicit, *præfectum urbi extra fines urbis poſſe jubere judicare* (y); nam ſenſus eſt: præfectum extra urbem poſſe dare judicem, licet non habeat illic poteſtatem, qui in urbe judicet; qui æque potuit fuiſſe ſuæ Juriſdictioni ſubjectus quam contra. Hæc autem ſufficiant de perſonis in genere; in ſpecie quæritur an Legatus Proconſulis habeat mandatam Juriſdictionem, an vero propriam; & an mandare ipſi poſſit an vero debeat Proconſul? Verum nimis clare ſeſe de hac re explicat Pomponius quam dubitari poſſit, inquiens, *Legatum nihil proprium, habere, niſi ipſi à Proconſule mandata fuerit Juriſdictio* (z). Nam licet à Senatu Proconſuli auxilio daretur, atque ipſi quædam ſpecialis legis fuerint conceſſæ, Juriſdictionem tamen ex mandato Proconſulis habebat (a): eandem igitur Juriſdictionem & propriam & mandatam habere ἀδύνατον eſt (b): Imo ſi propriam habet quare alteri non mandat? quod nuſquam legitur. Proprium tamen habet aliquid dices; Verum hoc, nimirum ea, quæ ſpeciali lege ipſi tributa ſunt, veluti tutoris datio (c), quo caſu non ſuperior judex, ſed Proconſul ab ipſo appellatur & ſic accipe quod Venulejus inquit, (d) *appellari à Legatis Proconſul poteſt*, nimirum poſitis terminis habilibus dicit enim cum Emphaſi, *Poteſt*, non autem ſemper appellatur. Nec obſtat illud Ulpiani (e) iis, quæ jam diximus: Nimirum *quod Proconſul ingreſſus Provinciam Legato ſuo Juriſdictionem mandare debeat*, nam verbum debet non reſpicit *mandatum* ſed verba: *ingreſſus Provinciam*; ita ut ſenſus ſit: ſi Proconſul velit mandare ſuam Juriſdictionem, debet hoc facere, cum ingreſſus eſt Provinciam, non ante, præſuppoſita ſemper voluntate ejus (f): imo quid tum poſtea debet mandare ergo debet propriam dare, quæ hæc eſt conſequentia? Confiteor tamen plenius fuiſſe ipſius mandatum quam alienum, temere enim ac inconſulto principe illud à Proconſule revocari non potuiſſe videtur (g).

T. XXI. Cum autem Juriſdictio mandatur ſive tota ſive pars ſciendum eſt, ſive fuerit prætori ſive privato mandata, nunquam tamen agat pro ſuo imperio, ſed pro eo, cujus mandato Jus dicit, quotiens

x arg. l. 1. C. q. pro ſua Juriſdict.
y L. ult. d. offic. præt. urb.
z L. 13. d. offic. proconſ.
a L. 4. §. ult. l. 12. & l. ſeq. d. offic. proconſ. & paſſim.
b L. 1. d. offic. ejus.
c L. 1. §. 1. d. tut. dat. & l. 5. d. off. proconſ.
d L. 2. quis & à quo appell.
e L. 4. §. d. off. proconſ.
f d. l. 4. §. ult.
g L. 6. §. 1. & 13. d. off. Proconſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

tiens partibus ejus fungitur, nam ut in omni mandato requiritur, ut id quod geritur, ſit proprium mandantis, quia rerum Domini tantum mandant res ſuas (h) & ideo ne tutor quidem, licet ille maxime vicem domini ſuſtineat (i); poſſit facere mandatarium, qui res pupilli adminiſtret (k); ſed actorem ſolummodo, eodem modo mandatur Juriſdictio ab eo cujus eſt propria, & is, cui mandata eſt, fungitur vice ejus, qui mandavit, ſive domini non ſua (l), ideoque nec alteri rurſus mandare poteſt; Sed omnia diligenter peragere & exſequi, quemadmodum mandans ipſe feciſſet, tenetur. Meminiſſe igitur ſemper oportet, cum dicimus Juriſdictionem vel pro parte vel totam tranſire, proprietatem tamen permanere ſemper in eo, qui mandavit, exercitium in eo, cui mandata eſt Juriſdictio, ad id, ut vicem mandantis per omnia ſuſtineat, ac ipſam perſonam repræſentet, adeo quidem ut ab eo non mandans, ſed is, qui ab ipſo mandante provocatus fuiſſet, appelletur (m).

h L. 1. d. procurat.
i L. 27. d. adminiſtr. tut.
k §. ult. J. d. curat.
l L. 16. ff. h. t.
m L. 1. §. 1. quis à quo appellet.

T. XXII. Vidimus alteram Juriſdictionis alienæ ſpeciem, nimirum mandatam, ad alteram pergamus; videlicet *Prorogatam*. Eſt autem ea, *Juriſdictio, quæ extra terminos privatorum conſenſu producitur* (n), qui quidem Judicem facere non poteſt (o), ſed tamen in Judicem jam à Principe conſtitutum conſentire, ut de lite quadam inter conſentientes Jus dicat, & ſummâ hoc quidem cum ſubjectorum in ſocietate ſub uno principe viventium utilitate, quibus ſi fortaſſe conveniat alio loco litigare, quam quo alteruter litigantium agere vel conveniri debuiſſet, propria voluntate eligunt ſibi judicem; cum enim omnes, quotquot ſunt in reipublica judices, ad opportuniorem & commodiorem agendi facultatem ratione ſingulorum civium a principe cauſis ac litibus dijudicandis præpoſiti ſint, abſurdum ac ab omni ratione alienum foret, contra utilitatem ac quidem cum detrimento eorundem, contendentes certis perſonis aſtringere ſine ullo reipublicæ bono, ut eorum lites ac contentiones componant: ideoque proſpexerunt his tam æqui Juriſconditores, in hunc modum: ut nimirum litigaturi de adeundo Judice poſſint inter ſe paciſci; nam cum extra terminos ſuos Jus dicenti impune non pareretur, inde contigit, ut hanc æque ac mandatam Juriſdictionem à lege, licet ab ea non deferri, ſuſtineri ſaltem ac confirmari videamus, nemo autem alias ſententiæ à tali Judice latæ ſtare teneretur (p).

n arg. l. 1. & 2. pr. d. Judic.
o L. 3. h. t.
p d. l. 3. h. t.

T. XXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

T. XXIII. Litigaturi ſi conſenſerint ac conſentire potuerint ad Judicem prorogare poſſunt, nam ſi viribus Præturæ compulſus alteruter eorum fuerit, nulla eſt Juriſdictio (q). Conſentire autem intelliguntur, qui potuerunt conſentire, cæterum cum quis errore ductus, putavit Titii Juriſdictionem eſſe, dum eſſet Mævii, non videtur conſentiſſe, *error enim litigatorum non habet conſenſum* (r): nec requiritur etiam Judicis conſenſus, convenire autem inter privatos ſufficit, nam lex Julia Judiciorum ait: *quo minus inter privatos conveniat*: per privatos hic non tantum intelligimus, qui nullæ Juriſdictioni præſunt, nam licet forte major vel æqualis ſe ſubjiciat, poteſt ei & adverſus eum Jus dici (s), quamvis par in parem non habet imperium (t), nam omnis Magiſtratus in alieno territorio eſt privatus (u).

T. XXIV. Simulac igitur inter partes convenit de adeunda Juriſdictione vel rei vel actoris vel neutrius, eſt Juriſdictio (x), modo præſint, ut dixi, tribunali, nam ad judicem pedaneum facta prorogatio nulla eſt, quia ſine dubio ille nulli Juriſdictioni vel tribunali præeſt; non igitur alteri, quam cui à principe data ac conceſſa eſt Juriſdictio, nam hoc probe notandum ad illos Judices tantum poſſe prorogari, qui ſunt ſub eadem ſumma poteſtate, nam niſi princeps, ut modo dictum eſt, vel ipſa lex eam tacite confirmaret, prorogatio nullius momenti foret, ac ſententiam jam latam nemo poſſet exſequi, nam quamvis Magiſtratus, alterius ſententiam exſequi debeat, hoc neutiquam fieri poſſet, niſi uni principi ſubjecti omnes ſint. Dubitant porro D. D. an ad mandatarium Juriſdictionis poſſet prorogari, negat *Bartolus*, *Vultejus* & *Scipio gentilis* (y): majori tamen cum ratione affirmant id *Baldus* & *Zaſius* (z) aliique. Quidquid ſit, dubia plane eſt controverſia, quoniam vix de eo quidquam leges meminiſſe videntur, at quæ Ulpianus dicit: *inter conſentientes cujuſvis Judicis, qui tribunali præeſt, vel aliam Juriſdictionem habet* (a) latioris, mea quidem ſententiâ ſunt ſignificationis, quam quod ad mandatarium Juriſdictionis extendi non poſſint, & præterea cum hic mandantis omnimodo loco ſit, ac pro ipſo mandante habeatur nulla profecto eſt ratio, quæ huic ſententiæ adverſari videtur: monitum tamen unicuique ſit, diſtinguendum eſſe inter partem mandatam & omnem mandatam (b); nam cum pars mandatur, tunc ipſum ejus officium certas tantum ſpecies concernit, ultra quas ex-

q L. 2. pr. d. Judiciis.
r d. l. 2. §. 1.
s L. 14. ff. h. t.
t
u L. 3. d. offic. præſid.
x L. 1. d. Judic.
y Bart. in l. ff. d. Judic. Vnlt. in l. 1. C. h. t. Scip. Gent. l. 2. c. 13.
z Bald. in d. l. 1. & 25. in l. 15. ff. h. t.
a d. l. 1.
b Bart. in d. l. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

tendi nequaquam poſſe videtur, quoniam tunc præſumitur mandans noluiſſe magis mandatarium gerere, quam ipſe ei commiſerat, ſecus tamen, ſi omnem in eum Juriſdictionem contulerit; nam finge tacite per litem conteſtatam prorogari a partibus, nullo modo poteſt ſciri, prorogationem interceſſiſſe, niſi ipſi partes indicaverint, & quare quod tacite neceſſario debebit valere, cur non expreſſe valebit? Denique favorabilis eſt omnimodo facultas prorogandi, cum hic magis conſenſus partium; quam judex ſpectetur (c).

T. XXV. Cum certum ſit tam Civiles quam criminales cauſas poſſe prorogari (d), de utriſque hic agendum ſentio, licet forte noſtra diſputatio ſeſe non ulterius, quam ad ea, quæ Jure Magiſtratus competunt extendat, tamen quia de iis & infra dicendi locus dabitur una omnis generis cauſas hic abſolvere in animum induxi, ne duplici nos labore fatigemus. Omnes igitur cauſas prorogari poſſunt; ſive fuerint Civiles ſive fuerint criminales nihil refert; non tamen ita, ut ille, cui ſeparatim data eſt Juriſdictio, etiam poſſit de criminalibus cognoſcere (e), aut cui criminales cauſæ commiſſæ ſunt, etiam civiles poſſet dijudicare (f), aut hi, quibus certæ ſpecies criminum conceſſæ, poſſint & alias inquirere, minime gentium, nam Jus publicum nullo modo privatus conſenſus mutare poteſt (g), & illud, quod certis perſonis tum propter cauſæ præſtantiam, tum criminum gravitatem tributum eſt, temere in alias nemo conferre, multo minus privatus poteſt, at ita prorogatur, ut ad unumquemque, cui ejusmodi cauſæ cognitio competit, de qua litigaturi contendunt, prorogari poſſit (h).

T. XXVI. D. D. (i) vulgo quatuor prorogandi modos conſtituunt, 1. De loco ad locum, 2. De tempore ad tempus, 3. De re ad rem ſive de cauſa ad cauſam, 4. De perſona ad perſonam. De quibus ordine videamus. Primo de *loco ad locum*, *eſt prorogatio qua vi iſtius etiam extra territorium ſuum Juriſdicenti poteſtas acquiritur*, ita ut judex (vulgo illud adhibetur exemplum) Mutinenſis poſſit Bononiæ Juriſdicere: dubius plane ſum, an hæc cum non obſcuris alioquin viris recipienda prorogatio (k) an cum Bartolo & Baldo rejicienda ſit (l); at magis quod ultimi pro ſua opinione afferunt, quomodo poſſit negari animo non concipio: nam præterquam quod Magiſtratus in alieno territorio eſt privatus (m), &, ut ſupro proba-

c arg. l. 1. ff. h. t. & l. 2. §. 1. d. Judic. vide porro Donnell. Enucl. l. 17. & illic alleg. litt. P.

d Vid. Vinn. c. 11. n. 1.

e L. 1. C. ubi cauſ. fiſc.

f L. 61. §. 1. d. Judic.

g L. 27. d. R. J. & l. 1. §. 1. eod.

h arg. d. d. l. l.

i Vid. Bach. de Juriſdict. prorog. n. 5. & 6. Suth. aph. 374. & Vinn. c. 10. §. 11. paſſim.

k Vid. Zaſium in l. ult. d. J. & J. n. 25. Alex. in l. ult. ff. h. t. Abbas in C. novit. 7. d. offic. & pot. Jud. del.

l Bart. & Bald. in l. 2. d. Judic. in pr. n. 7. & Vinn. c. 10. n. 8. h. t. & Struv. exercit. 4. in ff. n. 59.

m L. 3. d. offic. præf. l. ult. ff. h. t. l. ult. d. offic. præf. urb.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

probavimus, ad Magiſtratum non etiam ad privatum prorogari poteſt (n), & in contemptum ac contumeliam maxime Magiſtratus à principe datus eſt, qui cum idoneum ſatis dedit, alius accerſitur: nam quod interdum ipſi litigantes in alio territorio contendant, hoc fit propter loci opportunitatem, quæ ratio hic ceſſat, ubi judex prorogatur, ac Jus dicit in alio territorio, præſente iſtius territorii Judice, nam tum perſonam non locum elegiſſe videntur. Et quod magis eſt; ſic privatus conſenſus faceret judicem: nam cum privatus omnis judex in alieno territorio ſit, conſenſus partium eo Judicem facere non poteſt; at inquiunt, omnis judex alio loco, licet non actu tamen in habitu judex eſt (o). Quis unquam quidquam ſubtilius aut venuſtius? Juriſdictio eſt habitus, Pape! Crebris actionibus quaſi vero, ac longo temporis uſu quemadmodum habitus acquiritur: mihi hæc non placent: nec obſtat, quod actus voluntarii poſſint interdum extra territorium peragi, at iſtud natura illorum patitur, ac plane aliter in contentioſis obtinet, quod igitur ſecundum naturam ſuam hoc permittit, illud, quia contra eſt, eo magis negat.

n T. 23.

o Alex. in d. l. 1.

T. XXVI. Subſequitur ſecundo prorogatio de tempore ad tempus, eſtque *ea*, qua Judex finita Juriſdicendi poteſtate, etiam ulterius Jus dicere poteſt conſenſu prorogantium (p), at hæc cum priori non accipienda eſt, nam quod Ulpianus: *ſi & Judex ad tempus datus & omnes litigatores conſentiant, niſi &c., poſſunt tempore prorogare* (q): non accipiendum de forma prorogationis propriæ, nam primo loquitur de Judice pedaneo, ad quem non poteſt prorogari (r) & deinde in prorogatione non requiritur conſenſus Judicis, ut patet ex verbis: *niſi principaliter prorogatio fuerit inhibita:* Loquitnr igitur hæc lex de tempore adjecto negotio, ut intra id Judex pedaneus abſolvat, quod tempus cum eſſet adjectum in gratiam partium, ne detineretur forte, etiam partium conſenſu poſſunt prolongari tempora, niſi prohibuerit prætor.

p Vinn. ſelect. quæſt. l. 1. c. 4.

q L. 2. §. 2. d. Judic.

r arg. l. 1. d. Judic. & T. 22. ſupr.

T. XXVIII. Tertio prorogatio de re ad rem eſt, qua quis juſſus de certa quantitate dicere, etiam de majori conſenſu partium cognoſcit. Sed vereor non & hæc ſatis probetur, ut Vinnius contra exiſtimat (s) nam quod Julianus inquit (t): *Judex ad certam quantitatem juſſus, etiam de re majori poteſt*, intelligendum de Judice pedaneo, qui datus in certam ſummam à Prætore, ſi poſtea contigit, ut major facta

s Vinn. ſelect. Quæſt. l. 1. c. 4.

t L. 74. §. 1. d. Judic.

 ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

ſit aut quantitas accreverit, poteſt etiam de ea judicare, non excluſâ tamen judicis auctoritate & juſſu, quod ex ſuperiori theſi temperandum eſt; & ſi jam omnino ex dictis proberur, hæc opinio tam exiguum uſum habet, ut vix operæ pretium ſit, eam magno labore inquirere; auget præterea ac confirmat noſtram ſententiam, quod Magiſtratus, juſſus ad certam quantitatem à principe judicare extra eam omnimodo eſt privatus, æque ac qui extra territorium judicat, atque privatus privato Juriſdictionem concedere non poteſt, nam quemadmodum Magiſtratus ad certas cauſas conſtitutus eas excedere non poteſt, quia princeps iſtis finibus ejus poteſtatem voluit circumſcribi, ita nec is, qui ad certam quantitatem juſſus eſt judicare, eam extendere nec ipſe nec quiſquam privatus poteſt; nulla eſt ratio differentiæ.

T. XXIX. Quarto *prorogatio de perſona ad perſonam, eſt qua convenientes alterius ſe Juriſdictioni ejuſdem generis, quam cui ſubjecti erant, ſubmittunt*, eo modo, ut theſi vigeſima quinta diximus: eaque eſt vel *tacita* vel expreſſa, hæc quæ fit aperta conventione, illa quæ fit vel re aut facto (u), *Expreſſa* eſt *conventio de adeundo judice, cujus Juriſdictioni non ſuberant* (x), cui ſtare procul dubio nemo compelletur (z), at præcipuus ejus effectus conſiſtit in voluntaria ſubmiſſione, niſi jam Prætor aditus fuerit (z). Hac ſubmiſſione ad judicem prorogatum ex alio territorio vocari non poterit, niſi tempore citationis in ejus territorio inveniatur, ut inſinuari illi ea poſſit, quoniam citationis auctoritas à Juriſdictione proficiſci debet, cujus nulli actus in alieno territorio fieri poſſunt (a). Quia nuda igitur conventione nemo tenetur ſtare, (niſi forte id egerit, ut ſeſe non tueretur exceptione fori, quam ex privilegio habebat, tum autem ſi declinare velit judicem; nihil agit & exceptione pacti conventi refellitur (b)), fit quoque expreſſa prorogatio legitima conventione, nimirum ſtipulando pœnam, & tum condictionem certi evitare non poterit, aut ſtipulando ſimpliciter & incerti condictione tenebitur & intereſſe ſolvere, non autem præciſe Tribunal Judicis prorogati ſequi compelletur (c). Sed cum æquiſſima ratione Juris Gent. pacta æque quam ſtipulationes obligandi vim pariant, dubium non eſt quin utriſque firmiter obligabitur; quod & Jus Canonum obſervat (d). Fertur & hodie generalis prorogandi formula ex noviſſima ampliaplia-

u Donell. Enucl. l. 17. c. 10.

x L. ſi convenerit 18. ff. h. t.

z L. 18. Juncta l. 7. h. t. d. pactis.

a L. ult. ff. h. t.

b L. ult. C. d. pactis.

c D. D. communiter in d. l. 18.

d c. 2. & 3. & d. pactis.

pliatione Inſtrumentorum Curiæ Hollandiæ (e): **Onder Verbant van alle Rechten en Rechteren /** quæ tamen vim nullam habet niſi ſpecialiter nomina Curiarum ſubjecta ſint: quæ tamen diximus de inſinuatione citationis & hodie fieri non poſſunt, niſi reus in eo territorio, cui ſe ſubjecit, reperiatur)f).

T. XXX. *Tacite ſive re & facto ſit prorogatio per litis conteſtationem*, quæ inchoatur petitione actoris & adimpletur reſponſione ſive contradictione rei; non autem ſi ſolummodo ſibi edi libellum petierit, quia tum non videtur voluiſſe in judicem conſenſiſſe (g), ſed noſſe ſolummodo, qua actione conveniatur, ut deliberet cedere, an contendere velit (h): at ſi jam petitioni contradixit poſtea ad fori declinatoriam reverti nequit (i), qui præcipuus eſt ejuſmodi prorogationis effectus, qua etiam inter invitos Jus dici poteſt.

e n.5. & 6

f Sande l. 1.T.1.defin. 3. Groenw. d. l. l. abrogatis ff. h. t.

g L.33. d. Judic.

h L. 1. d. edendo.

i L. 52. d. Judic. & l. 18. ff. h. t.

T.XXXI. Sic abſoluta eſt ſecunda Juriſdictionis diviſio: feruntur porro aliæ non magnæ utilitatis, exempli gratia, primo in *Militarem* & *paganicam* (k): *militaris eſt*, quæ inter milites ſive inter militem reum & actorem paganum exercetur. *Paganica* eſt quæ inter paganos ſive paganum reum & actorem militem exercetur. Secundo in *inferiorem* & *ſuperiorem*; inferior eſt, quæ Magiſtratibus minoribus, ſuperior quæ majoribus competit, aliæque, quas tacite præterimus. Qui hæc pauca jam intellexit faciliter omni modo dignoſcet longe eſſe aliam Juriſdictionem, quam Comites his temporibus poſſident, quæ hæreditaria & patrimonialis Juriſdicundi poteſtas eſt, ac ad ſucceſſores in infinitum tranſit, quæ cum à Jure Roma alieniſſima eſt, hujus loci non erit, eam explicare ac lectoribus interpertari, dum ſatis abunde in manibus habemus quibus noſmet expedire, ac exſolvere non ſine labore poterimus.

k L. 6. ff. h. t.

T. XXXII. Uſque huc fere de rebus, & non de perſonis, niſi materiæ ſeries illud ſummopere exigeret, egimus, ad perſonas porro properamus. Duos igitur perſonarum ordines animo concipiamus: primus eſt unde proficiſcitur Juriſdictio: ſecundus, quibus competit Juriſdictio, & tertius in quos competit. De Primo ordini jam pœne ſatisfecimus, diximuſque à ſumma Majeſtate proficiſci; videamus hic Paulo preſſius, quæ ſit ſumma majeſtas & ubi illa in republica Romana fuerit. Summa *Majeſtas eſt legibus Civilibus ſoluta*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

luta poteſtas (l) quæ primis temporibus atque initio reipublicæ penes Reges fuit (m), ſic inquit Tacitus: *Urbem Romam ab initio Reges habuere* (n): deinde cum paulisper in Conſulibus ea ſtetiſſet, devoluta rurſus ad Populum (o) eſt, nam cum hi Regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab iis provocatio eſſet, neque poſſint in caput Civis Rom. animadvertere. Poſtremo poſt intervallum quadringentorum & ultra annorum ad Cæſares rediit, anno ab urbe condita 721. (p), quorum auctoritas & ſplendor ita accrevit, ut omnis tandem reipublicæ ſalus ac robur in illis ſita & cives, Socii, equites, pedites denique omnes & omnia pendere ab illorum poteſtate viderentur, qui imperatores & patres patriæ dicti ſunt (q): atque hæc fere fuit primi ordinis progreſſus.

T. XXXIII. Secundus ordo perſonarum eſt in illis, quibus à ſumma Majeſtate data eſt Juriſdictio, qui, loquente noſtra Rubrica, fuerunt Judices, ſive quod eodem redit Magiſtratus; nam plane aliud Judicis vocabulo in Pandectis, aliud in Codice ſignificatur ut D. D. paſſim notant, in illis voce Judicis Pedanei potius intelligitur (r), imo disjunguntur & opponuntur Judices Magiſtratibus interdum (s), in hoc cum mos dandorum Judicum pedaneorum fere abrogatus, ac ipſi Magiſtratus Judicare juſſi ſunt, (t) Judices communiori ſignificatione dicti ſunt; nec tamen ita aliena à Jure veteri, ut nunquam aliter ſumeretur, hæc ſignificatio fuit, quod ex ſequentibus videbimus.

XXXIV. Magiſtratus dicti ſunt à Magiſtro, (u) ideoque ſcite Varro (x) Magiſtratus nomen poſt Magiſterium equitum natum eſſe aſſerit: *Reliqui*, inquit, *quod minores quam hi Magiſtri dicti ſunt Magiſtratus, ut de albo albatus*, ſed nunquam tamen nativa ejus ſignificatio permanſit, & interdum ſtrictius, ut pro eo, qui habet ſummum imperium (y) ſumitur, interdum latius, ut noſtra Rubrica ſatis aperte teſtatur: eos definit Cujacius (z) *perſonas, quibus publice Judicium & Juriſdictio data eſt*; ejuſdem, ut jam incepimus dicere, ſignificationis Jure novo etiam Judicis vocabulum ſemper eſt, Jure veteri tantum aliquando, ſic dicuntur Judices majores & minores (a), id eſt, Magiſtratus majores & minores: vulgo tamen judex dicitur is, qui delegatus eſt, ut Theſi præcedenti diximus; non tamen, cum & aliquando & certis caſibus Judex Jure novo datur, ita ab uſu hæc ſigni-

l arg. l. 3. d. l. 1. & l. 1. de conſt. princ.
m l. 2. §. 2. & 14. D. O. J.
n Tac. l. 1. ann. pr.
o d. l. 2. §. 16.
p De his vide Sigon. in faſtis.
q Rom. Illuſtr. l. 2. d. Imperat.
r L. 46. d. l. penult. Judic. ſolv. l. ult. d. offic. præf. l. 4. d. tut. dat.
s L. 2. d. re Jud.
t T. T. C. d. Jud. ped.
u L. 57. d. V. S.
x Varr. l. 4. d. ling. Lat.
y L. 2. §. 14. d. O. J.
z Cuj. d. O. J.
a L. 2. de liberali cauſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

gnificatio receſſit, quin & Judicem Pedaneum poſſit comprehendere, & ſic definitur *Judex vir bonus ad cauſas decidendas publice conſtitutus*; dicitur autem vir bonus non quod ita ſemper ſit, ſed ſic eſſe debeat (b): non autem Juris peritus, quoniam hoc perpetuo in Judice non requiritur, ſed tantum in Judicibus Pedaneis, nam Magiſtratus alii aſſeſſores habebant, quibus imputabatur, ſi quid per Imperitiam male Judicaſſent (c); denique additur publice, ut diſtinguantur ab arbitro, qui privatorum conſenſu conſtituitur (d), qui Judicem facere non poteſt (e). Duo hic jam debemus obſervare Judicum genera, primo Magiſtratus ſive judices in genere & ſecundo judices Pedaneos.

b L.4. §. 1 fam. erciſc. l. 137. cum ita d. V. aſc.
c L.2. quod quis. Jur. in alter. junct. l. 1. §. pen. d. offic. aſſeſſ.
d l.3. §. 1. d. arbitr.
e L. 3. h.t.

T. XXXV. Magiſtratus ſive judices in genere ſupra definivimus & ſunt porro vel majores, *quibus imperium & major poteſtas competit* (f) & minores, qui imperium (non intellige hic merum vel mixtum, ſed eminentiorem, ac imporioſiorem poteſtatem) *tale non habent, ſed aliam reipublicæ procurationem*, (g) quemadmodum Magiſtratus municipales. Utrique vel majores vel minores, ſunt aut Urbani, vel Provinciales, ideoque & à quibuſdam Juriſdictio in Urbanam vel Provincialem dividitur. Non omnibus tamen Magiſtratibus competebat Juriſdictio, ſed tantum quibuſdam: ut ecce quæſtor parricidii, ſi late ſumas verbum, erat Magiſtratus nihil tamen quam Jus animadvertendi in caput Civis habebat (h), nullam equidem Juriſdictionem, ſed omnes contra, qui Juriſdictionem habebant erant Magiſtratus, ac Jure iſtius illam gerebant. Singulas tam perſonas referre, qui aut habuerunt Juriſdictionem tantum, aut qui Juriſdictionem una cum aliis notionibus, quinam denique notiones ſpeciales ſine Juriſdictione, de his inquam ſingulis diſputare, alia demum theſis exigeret, nec ad Juriſdictionem cognoſcendam multa conferunt, nam Magiſtratus ſtante republica ſæpies mutati non Juriſdictio fuit: ſive autem Juriſdictio, ſit in Prætore, ſive in Præfecto Urbi, ſive in Præſide nihil ex inde ea mutaretur, licet Prætor plerumque de Civilibus Jus dicebat & ea, quæ ad Juriſdictionem pertinent, vulgo exerceret (i); Præfectus urbis magis in crimina animadverteret (k), & Præſes utraque perageret (l), tamen nulla perſonæ qualitas Juriſdictionem aut augere aut minuere potuit; at cum porro in genere de Magiſtratibus diximus, qui habeant Juriſdictio-nem

f L.l.32. d. injur. juncta l. 2. d. in Jus voc. & l. 31. d. V S.
g d. d. l.l.
h L.2. §. 23. d. O. J.
i T. T. d. offic. præſ. & §. 2. d. ſuſp. tut.
k L. pen. d. offic. præſ.
l 4. d. offic. præſidis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

nem, ne quis temere excluſerit Magiſtratus Municipales, qui Juriſdictionem non ſolum (m), ſed quod magis eſt, mixtum imperium, quod Juriſdictioni adjungitur, habuerunt (n), licet forte ea, quæ magis imperii ſunt, ad illos non pertinuerint (o), de quibus infra.

T. XXXVI. Secundum genus Judicum diximus eſſe pedaneos, qui cum non exiguam operam in Juriſdictione Jure veteri præſtarunt, juvabit eorum officium noſſe; hi igitur quinque potiſſimum modis ab illis Judicibus, quibus erat Juriſdictio, differebant. Nomine, origine, reipſa, dignitate & poteſtate. *Primo* nomine nam illi dicebantur Judices & Magiſtratus, hi Judices pedanei, dati, delegati, Jure Pandectarum interdum ſimpliciter Judices (p) *Secundo* origine nam Magiſtratus creabantur à ſumma poteſtate (q), hi a Magiſtratibus ipſis ad ſingulas cauſas dantur & delegantur. *Tertio* re ipſas Magiſtratuum erat Juriſdictio, & Juriſdictioni præerant, hi ſubſunt potius ac adminiſtrant, & deinde Judices pedanei adhibebantur tantum in cauſis civilibus non criminalibus, Magiſtratus & criminales cauſas tractarunt. *Quarto* poteſtate à Magiſtratibus differebant, non autem niſi ſecundum formulam à præſcriptam poterant Judicare, quam egredi non audebant, ſecundum quam ſi Judicaſſent Prætor exſequebatur illorum ſententiam, quoniam ipſi non poterant, imo ne in Jus vocatio quidem ad illos poterat fieri, ſed omnia hæc apud Prætorem fieri debebant (r), ita ut nihil tandem niſi nuda notio illis remaneret. *Quinto* illi enim habeant tribunal (s), & præfuerunt tribunali (t), non autem Judices Pedanei, quin ex eo vocantur pedanei, quia non in tribunali edito loco, ſed infra ad pedes Prætoris Jus dicebant, χαμαιδικασταὶ, à Theophilo dicti. Alii erant pedarii, qui etiam interdum pedanei appellabantur, qui pedibus ibant in aliorum ſententiam, Undo Cicero, *raptim*, inquit *Pedarii in eam ſententiam cucurrerunt* (u) ut fere fieri ſolebat, cum de re non adeo magni momenti Sctum habebatur, tunc autem non rogabantur ſingula ſuffragia, ſed dicta à quibuſdam ſententia, alii, qui eam vellent confirmare, exurgebant, ad eum locum ſe conferentes, quo ſe contulerat ille, cujus ſententiam ſequi vellent. Alii putant Pedaneos dictos fuiſſe, quia non cella curali, ut Magiſtratus majores, ſed pedibus irent in Senatum (x).

T. XXXVII.

m L.29.ad Munic. l.3. & 19. §. 1.d. tut. dat.
n L. 12. ff. h. t.
o L. 26. pr. ad Munic.
p Vid. ſupr. Th. 33.
q Supr. Th. 8.
r L. 3. ne quis eum qui in Jus voc.
s L. 7. d. teſt. in Integ.
t L. 1. offic. ejus l. 2. d. in Jus voc. l. 8. d. Judic.
u Cic. l. 1. ad Att. Epiſt. ult.
x Vid. Budæum in l. ult. ff. de Senat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

T. XXXVII. Tertius ordo perſonarum eſt, qui ſubjacet Juriſdictioni, & cui Jus dicitur, nimirum iſtis perſonis, quæ ſunt in territorio, nam extra territorium Jus dicenti impune non paretur (y) ſi Vocatus iverit, niſi forte dubitetur, an ſubſit Juriſdictioni, nec ne, tum autem venire debet, Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit Juriſdictio, vocati non contemnere ejus auctoritatem (z). Qui vero territorio, & quo Jure quis poſſet eſſe in territorio Juriſdicentis, dicemus ad forum competens: excipe tamen hic liberos & conjunctas perſonas, nam illis neque etiam ſibi, licet fuerint in Juſdicentis territorio, Jus dici poteſt (a), niſi forte partes in eum conſenſeſerint, ſive Pedaneus fuerit, & ſic accipe, quod Africanus dicit; *in privatis negotiis pater filium & filius patrem Judicem habere poteſt* (b), ſive tales fuerint cauſæ, quæ deferri non potuerunt (c).

y L. ult. d. Juriſdict. l. 3. d. offic. præſ. l. ult. d. offic. præf. urb.
z L. 1. d. Judic.
a L. 10. ff. h. t.
b L. 77. d. Judic.
c L. 16. d. offic. præſ.

T. XXXVII. Modus & effectus ſpeciales Juriſdictionis magis ad Titulum de Judiciis pertinent: ne tamen omnino hæc nos videantur latere, paucis hic conabimur oſtendere ac explicare, quæ ad cognitionem Juriſdictionis maxime inſervient, effectus igitur præcipuus eſt *Jus dicere*, quod cum ad omnes notiones ſine dubio pertinet, videamus quomodo in ſingulis contigerit. Diſtinguendum igitur Primo inter cauſas Civiles & Criminales: Civiles iterum ad Juriſdictionem pertinebant, vel erant ſpecialis legis. Sin Civiles ſimpliciter cauſæ, ac Juriſdictionis erant, primo actor in Jus vocabat reum, quod olim fiebat privato arbitrio, adeo ut nolentem ſequi obtorto collo, in Jus actor reum trahere poſſet, niſi ſatiſdaret (d), cum ventum eſſet in Jus actione jam edita, ac Judicii præambulis peractis, quæ omnia in Jure fieri dicibantur, Prætor dabat Judicem hac formula, ſi in perſonam actio competeret: *ſi paret Titium Mævio dare aut facere oportere Sempronius Judex eſto*: ſin in rem danda foret actio: *ſi paret fundum. Q. D. A. P. Titii ex Jure Quiritium eſſe, neque is fundus ſibi à Mævio reſtituetur, Sempronius Judex eſto*, (e) qui tum Judicabat audiebatque & exceptiones rei & replicationes actoris, ſententiamque ferebat, quam Prætor exſequebatur. Sin Criminales, non actione, ſed accuſatione inſtituta, ſtatim fiebat ſubſcriptio accuſatoris in crimen, libello, quo ſumma accuſationis contenta erat, & ſe ipſum Subjiciebat pœnæ talionis, ſi calumniæ cauſa feciſſet (f): conceſſis tum die-

d L. 5. §. 1. in Jus vocati ut eant. Hub. ad §. ult. d. pæn. tem. litig.
e Vid. Briſſ. in voce Judice l. 2. pag. 37.
f L. 3. d. accuſ. & in Script.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

diebus accuſatori, ad exploranda crimina, Prætor ex decuriis Judicum certos eligebat, quorum nomina, in urnam dejecta ſorte ducebatur, qui cum Juraſſent in leges, & prætore Præſide cauſam perregiſſent ſecundum tabulas, vel abſolutionis, vel condemnationis, vel ampliationis, demum in urnam injactas ſententiam ferebant (g). Sin jam forent cauſæ, quæ ſpeciali lege competerent, ipſe prætor cognoſcebat, ut in datione tutoris, cognitio ſuper tranſactione de aliment. &c. Quæ cognita facile per agebantur.

g Vid. Aſcon. pæd. in 2. & 3. Verr. Briſſ. l. 2. antiq. c. 1.

T. XXXVIII. Finitur denique Juriſdictio, cum voluntate principis conceſſa ſit, ejuſdem contraria voluntate, quoniam unum quodque facile ſolvitur eo modo, quo colligatum eſt (h), & quæ principi placent legis habent vigorem (i); ſed quoniam boni principes Jus ſuum metiuntur ex eo quod facere debent non quod poſſunt, ita ſtatuendum, ſine juſta cauſa eum voluntatem ſuam mutare non poſſe. Deinde cum Romani Magiſtratus annui fere fuerunt, dubium non eſt, quin, finito iſto tempore, Juriſdictio finiebatur, ideoque inepta eſt queſtio Jure Romano an præſcribi potuerit, quod ex praxi hodie fere affirmant, quia vendi & alienari poteſt. Denique morte Magiſtratus, quæ perſonalem functionem extinguit ſine dubio, etiam ceſſat Juriſdictio. Speciales etiam modos habet mandata Juriſdictio, quæ eodem modo finitur, quâ mandatum ſive generale ſive ſpeciale, at hæc principia videantur in Titulo J. de mandato. Prorogata finitur cauſa, de qua prorogatum erat Judicata & compoſita (k). Pergo jam ad Imperium cujus cognitio jam multo facilior erit, cum Juriſdictionem novimus, ideoque diu non inhærebimus.

h L. 35. d. R. J.

i L. 1. d. conſt. princ.

k arg. l. 1. & 2. d. Judic.

CAPUT II.

De Imperio.

T. I. IMperii varias ac multiplices ſignificationes hic referre, Ridiculum plane foret, quaſdam & generaliores ſciſſe ſatius erit. Primo pro ſumma Majeſtate illud uſurpari interdum, Virgilius ſatis teſtatur.

Naſce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Naſcetur pulchrâ Trojanus origine Cæſar
Imperium Oceano, famam qui terminat aſtris (a).

a Virg. Æn. lib. 1.

Secundo ſumitur interdum pro excellentiori; ac imperativa poteſtate, unde Cicero: *Quid intereſt*, inquit, *verum Prætor imperet vique cogat* (b), & idem Poëta:

Tu regere imperio Populos Romane memento (c):

& ſic Parmeno *Jubes?* inquit. Reſpondet Cherea; *Jubeo, cogo, atque impero, nunquam defugiam auctoritatem* (d), & Antipho: *Sta illico,* reſpondet Geta: *Satis pro imperio quiſquis es* (e). Eandem etiam ſignificationem pluribus *l*ocis in Jure invenies. (f) At tertio, quemadmodum etiam noſtro Titulo, denotat imperium poteſtatem armorum, & excludit omnem aliam notionem, & præſertim Juriſdictionem: imo Muretus vult, cum ſermo Latinus purior vigeret nunquam Juridictioni imperium infuiſſe, & contra Juriſdicundi verbum nunquam ad cauſas capitales fuiſſe adoptatum (g): Quidquid ſit, Cicero omnium ſcriptorum latinorum puriſſimus, illa duo adhuc ſatis aperte diſtinguit, diſtinguens utriuſque officia in defenſione *Murenæ* contra *Sulpicium*, (h) in hunc modum: *quid nihil,* inquit, *inter illius ſortem & tuam in ipſa præturâ inter fuiſſe exiſti mas? Hujus ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarii tibi optabamus, Juriſdicendi, in qua gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam æquitatis largitio &c.* Et paulo poſt: *Quid tua ſors? Triſtis, atrox, Quæſtio peenlatus ex altera parte lacrimarum & ſqualloris, ex altera plena catenarum, atque indicum.* Quid clarius dici poteſt? Murenæ pars fuit *Juriſdicundi*; Sulpicii *quæſtio peculatus*; at quoniam de hoc imperio diſputandum latius, hoc agamus.

b Cic. 4. in Verr.
c Virg. Æn. 2.
d Terent. Eunuch. act. 2. ſc. 3.
e Idem in Phor. act. 1. ſc. 4.
f Ut in l. 8. d. off. Proconſ. aliiſque.
g Muret. d. Juriſdict. p. 38. & ſeq.
h Cic. Orat. 25.

T. II. Imperium illud ingenere eſt *poteſtas armorum* (i) hoc rurſum duplex eſt, vel *merum* vel *mixtum* de mixto prius agemus, quia hoc magis vicinum & ſocium eſt Juriſdictioni, quam merum.

i Sigon. l. 1. d. Jur. Civ. R. c. 2.

T. III. Mixtum dicitur imperium, quia non eſt merum, ſed admixtum Juriſdictioni & definitur: *poteſtas adjuncta Juriſdictoni ad tuendam eam, additâ vi executionis & coërcitione contumacium* (k). Hoc mixtum ſine dubio ejuſdem eſt originis ac Juriſdictio, quæ ſine hoc nulla eſt, ideoque iiſdem conceditur, quibus Juriſdictio, tam Magiſtratibus majoribus, quam minoribus (l); imo & Municipalibus, (m).

k Hub. ad h. t. per l. 3. & ult. ff. h. t.
l L. unc. pr. ſi quis Jus dicent. &c. l. 5. C. d. defenſ. Civ.
m L. 12. ff. h. t.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Licet ea, quæ magis imperii fuerint, ad eos non videntur pertinuiſſe (n). Nam profecto unicuique, cui Juriſdictio data & ea conceſſa præſumuntur, ſine quibus Juriſdictio eſſe nequit (o).

n L.26. pr ad Munic.
o L. ult. d. offic. ejus.

T. IV. Mixtum igitur imperium non exiguum Juriſdictioni auxilium affert, nam ſi lata ſententia & condemnatio ſontium omnimodo facta foret, vana tamen ac ſine viribus Juriſdictio exiſteret, ac ridiculam magis quam metuendam, ſibi eſſe uniſquiſque exiſtimaret; ideoque conſtitutum eſt, ut pignus capere, corpus retinere & mulctam dicere poſſent (p), quæ omnia illuſtriora ad mixtum imperium pertinere Jure merito quis affimet. *An etiam dare bonorum poſſeſſionem? Jubere caveri Prætoria ſtipulatione, mittere in poſſeſſionem &c.* (q)? Reſpondeo, quod attinet ad primum dare bonorum poſſeſſionem, mea quidem ſententia, nihil aliud eſt, quam adjudicare ſucceſſionem Prætoriam alteri (r), ideoque eam ſolum ad Juriſdictionem non poſſe referri, verum etiam de natura genuina Juriſdictionis eſſe, ac ſemper fuiſſe puto. Obſtat tamen Intricatum Ulpiani reſponſum adeo, ut hic crucem JCtis ponere voluiſſe videatur; ſed dubito ſane, an juſte à compilatoribus Pandectarum, hæc Ulpiani tradita, an poſtea male deſcripta ſint, quoniam hujus legis auctor clariſſimas ac facillimas intellectu reſponſiones ſemper, ut paſſim in Jure videre eſt, protulerit; ſic autem ipſa verba ſonant: *Mixtum imperium eſt, cui etiam Juriſdictio in eſt, quod in danda bonorum poſſeſſio conſiſtit, Juriſdictio eſt etiam judicis dandi licentia* (s). His D. D. fere quadrupliciter reſpondent: Struvius inquit (t). Mixtum Imperium, illic ſumi pro omni, quod non eſt merum, id eſt, pro omni poteſtate, quæ eſt in republica præter merum Imperium, quod vult patere ex verbis, *cui etiam Juriſdictio in eſt*, alias enim mixtum imperium ineſt Juriſdictioni, quæ ſignificatio aliquoties in Jure reperitur (u). Hæc Struvii ſententia. Referunt & aliam reſponſionem, quæ in verborum correctione conſiſtit, quæ nunquam temere admittenda, ſed cum virorum D. D. auctoritas una cum evidentiſſima Juris ratione nobis perſuadeat, ac facilem, & quam verborum ſeuſus aut ægre recipiat, emendationem ſuggerit, quid ni eam accipiemus, & cum *Goveano* (x), geminabimus verba Juriſdictio eſt, ita ut hic foret legendum: *Quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit Juriſdictio eſt. Juriſdictio eſt etiam*

p L. 8. ff. ad L. Jul. pecul. l. 2. de in Jus vocan.
q L. 4. ff. h. t. & l. 26. ad Munic.
r L. 2. §. 1. quis ordo in bon. poſſ. §. 2. J. d. bon. poſſ. addc l. 1. h. t.
s L. 3. ff. h. t.
t Struv. exerc. IV n. 56.
u L. 3. d. offic. ejus.
x Geov. in d. l. n. 43.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

etiam judicis &c., quæ verborum iteratio quam facile omitti potuerit, unuſquiſque facile videt. Addit *Faber* (y) aliam adhuc emendationem, pro *quod* legentis, *quæ*. Sed quarto, quæ omnium mihi veriſſima videtur, eſt *Franciſci de Claperii* mutantis, ac alio loco interpuctiones diſponentis, ac nihil præterea tollit aut addit in hunc modum (z) verba accipiens : quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit Juriſdictio eſt. Etiam (pro &) judicis dandi licentia, aut adhuc facilior Lectio erit, ſi loco puncti comma ponatur. Quod ipſe nobis indicat textus & conjunctio etiam, quæ ſatis clare oſtendit ejuſdem naturæ exemplum præceſſiſſe.

T. V. Quid jam jubere caveri Prætoria ſtipulatione? Et hæc Juriſdictio eſt, ſi quidquam aliud, nam ſatis aperte Pomponius docet, *omnes ſtipulationes Prætorias à Juriſdictione venire* (a). Quid jam reſtitere integrum? Nihil aliud profecto quam actum antea celebratum reſcindere (b). *Quid* mittere in poſſeſſionem? Nimirum jubere ire in poſſeſſionem ex edicto (c), quæ hæc caſtigatio modica? Ubi elucet illa mixti imperii poteſtas? Imo tum demum, cum ex decreto juſſus non admittatur, vi mixti imperii decretum exſequetur Prætor (d). Adeo ut certiſſimum ſit, omnia hæc Juriſdictione venire: ſed tamen (ut ſupra monuimus) ad primum in Juriſdictionem gradum, qui magis in jubendo & imperando, quam cognoſcendo conſiſtit, omnimodo referenda ſunt, nam diſerte ſcriptum eſt, *jubere caveri prætoria ſtipulatione, mittere in poſſeſſionem &c. Imperii magis quam Juriſdictionis ſunt* (e), id eſt, magis imperioſioris & eminentioris Juriſdictionis partes ſunt, ideoque Magiſtratibus majoribus, non minoribus, qui ſine poteſtate & imperio erant, competebat (f), quamobrem etiam negantur Magiſtratibus Municipalibus (g), qui tamen mixtum imperium abſque omni dubitatione habuerunt (h). Scriptum enim de iis eſt, quod pignus capere (i), dicere mulctam (k), modice caſtigare (l) poſſint, quæ omnia certo certius mixti imperii ſunt: at cum Magiſtratibus majoribus tantum excellentiores Juriſdictionis Gradus, qui ἀρχικότερα ſive magis imperii dicuntur, conceſſi ſint, viliores, (quibus tamen mixtum imperium adjunctum, quoniam Juriſdictionis erant, fuiſſe non dubita), minoribus Magiſtratibus ſolummodo adjuncti ſint, inde etiam contigit, ut Magiſtratus Municipales exercere eos non potuerint.

y Fab. l. 4. conject. 4.
z Fr. de Clap. h. t. concl. 11.
a L. 5. pr. d. V. O.
b L. F. C. ubi & apud quem reſt.
c L. 2. pr. quib. cauſis in poſſ. l. 7. pr. d. damno infect.
d L. 3. ne vis fiat ei &c.
e L. 3. h. t.
f arg. l. 32. de injur. & l. 2. d. in Jus voc. adde l. 8. d. offic. proconſ. & Sigon. d. Adtiq. Jure Provinc. c. 5.
g L. 26. ad Munic.
h L. ult. offic. ejus & l. 12. ff. h. t.
i L. 24. §. 7. ad L. Aquil.
k l. f. d. decr. ab ordin. facit.
l d. l. 12. ff. h. t.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

T. VI. Hoc mixtum imperium ſocium ſemper & adjunctum Juriſdictioni, ita ei inhæret, ut ab eo nullo modo, ac ratione ſeparari poſſit (m), nec obſtat, quod jam ante in dicto & obſcuro *Ulpiani* reſponſo legitur: *mixtum imperium, cui etiam Juriſdictio in eſt*; nec opus eſt, ut cum *Struvio*, (ut ſupra relatum eſt (n)) reſpondeamus, nec cum *Hottomanno* corrigamus textum (o), vel cum aliis duo mixta imperia fingamus, alterum, quod Juriſdictioni, alterum, cui Juriſdictio ineſt; nam tranſpoſitio illic verborum eſt, neque æque accurate Juriſconſulti ſemper loquuntur, quales plures in Jure invenias (p). Ineſt igitur mixtum Juriſdictioni & ei cohæret non contra, ac pariter Jure Magiſtratus competit, & Jure proprio exercetur, cumque Generali Juriſdictione una transfertur. Non tamen plane eadem eſſe cogitandum eſt; imo diverſa plane ſunt, ac tantum differunt, quam executio à ſententia, licet alterum ſine altero eſſe non poſſit. Præcipuus igitur ejus uſus eſt, majeſtatem Juriſdictionis tueri, ita ut id, quod *Pomponius* de Magiſtratibus affirmat; *parum eſſe, Jus in civitate eſſe, niſi ſint, qui Jura regere poſſunt* (h), merito de mixto imperio prædicetur, ſine quo Juriſdictio nulla eſt, & auxilio ejus ſemper indiget, ideoque ablata Juriſdictione & id aufertur.

m L. 1. §. 1. d. offic. ejus. & d. l. ult. eod.
n Supr. T. 4.
o Hott. l. 7. obſerv. 16.
p pr. Inſt. d. hær. inſtituend.
g L. 2. §. 13. d. O. J.

T. VII. *Merum imperium* eſt *Gladii poteſtas ad animadvertendum in facinoroſos homines.* Illud dicitur mirum, quia non eſt admixtum Juriſdictioni, quod infra probabimus.

T. VIII. Hoc merum imperium ſine dubio in eo eſt, cui hoc ſpeciali lege vel Principis conſtitutione conceſſum eſt (h), origo igitur eadem eſt cum Juriſdictione, nimirum à ſumma Reipublicæ Majeſtate: hanc autem ſibi reſervaverat ejectis Regibus Populus, ac cum animadvertendum eſſet in Civem Romanum, Quæſtores à populo creabantur, qui capitalibus rebus præeſſent atque hi dicebantur quæſtores paricidii (i); temporibus vero Cæſarum, Præfectus Urbi illud habuit. Notandum tamen probe, non omnes, qui habuerunt merum imperium omnes gradus ejus & partes habuiſſe, ſed tantum ea, quæ vel lex vel Princeps dederat, ut exemplum ſupra Sulpicii habuimus, cui tantum Quæſtio Peculatus conceſſa fuit, & Præſes Provinciæ Jus gladii habuit, & in metallum damnandi poteſtatem (k), nunquam tamen in Inſulam damnandi habuiſſe, imo contra legitur (l). Cæterum & omnes perſonas hic referre, qui & Jure veteri habuerunt &

h L. 1. pr. & §. 1. d. offic. ejus.
i d. l. 2. §. 23. plura vid. Vinn. h. t. c. 2. n. 1. & 2.
k L. 1. §. penult. d. offic. præſ.
l L. 6. d. interd. & releg. & l. 1. §. 3. d. legat. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

& Jure novo habent, hujus exercitationis anguſtiæ non ſinunt.

T. IX. Omnia igitur crimina animadverſione graviori digna hoc officio punienda veniunt, quorum gradus fecere doctores, ut utiliter admodum monet Sc. Gentilis (m). Bartolus in venit ſex, quos ſcite rejiciunt Obrecht, Stephanus, & Wiſſembagh (n): nos cum iis potius tres tantum agnoſcimus, ita à ratione pœnarum deſtributas (o): Primus continet cauſas omnes propter quas mors naturalis infligitur, ſive ultimum ſuplicium irrogatur: Secundus, quæ morti naturali proximæ ſunt, ut membri amputatio, dammatio in metallum: Tertius, quæ pœnam leviorem mærentur. Quæritur autem de condemnatione ad perpetuos carceres, an imperii, & cujus gradus ſit: quæ, licet inutilis ſane quæſtio ſit, quoniam ea prohibita omnino fuit apud Romanos (p), Jure Canonico tamen cum permiſſum ſit, (q) quod & mores hodierni ſequuntur (r), Quærenti reſpondeo, eam referendam eſſe ad ſecundum meri imperii gradum. Probe hic nota in tertio gradu pœnas interdum eſſe communes cum mixto imperio, ut pecuniariæ pœnæ irrogationem, quæ ſi adhibita fuit ad Juriſdictionem tuendam mixti, ſi criminali Judicio infligitur, meri imperii eſt, ut bene Hilling: in notis ad Donnellum enucleatum obſervat (s).

m Sc. Gent. l. 3. c. 6.
n Obrecht. h. t. c. 7. n. 28. J. Steph. l. 1. c. 3. & Wiſſemb. comm. p. 1. ff. diſp. 6. T. 10.
o L. 28. d. pœnis.
q L. 25. d. pœnis. l. 6. C. eod.
q C. 12. d. hæreticis in n. 6. c. 3. d. pœnis. in 6.
r Gudel. d. Jur. noviſſ. l. 6. c. 26.
s Donell. Enucl. l. 17. c. 8. litt. q. q.

T. X. Atque hæc omnia, licet Magiſtratus ipſe obtineat, tamen Jure Magiſtratus minime competunt, ſed legis beneficio, quæ paſſim opponuntur; ſed ſi quis roget, an ſuo Jure, an vero alieno & principis vice poſſideat. Attendamus. Magna olim pugna fuit inter *Æzonem* & *Lotharium* JCtos, arbitro *Henrico* V. Cæſare, an proprietas in principe meri imp., quemadmodum madata Juriſdictio in mandante remaneret, an ad illos tranſiret, qui illud exercerent, judicavit *Henricus* proprietate eſſe ac remanere in Principe, nos contra exiſtimamus: Concedimus imperium non eſſe in ditione & dominio, ſic nec Juriſdictio eſt: ita ut hic fere jam Cl. virorum contentio redeat; an non æque imperium ac Juriſdictio competat Jure Magiſt. Nam certum illud concedendum: nequaquam ſeſe eo ſpoliat princeps, ſed Jure ſummæ poteſtatis, & arbitrii omnium rerum retinet, & quandocunque placuerit revocare poteſt. Si jam roges, an imperium ſit proprietate in Principe, an Magiſtratus, ego dicam in Magiſtratu, quia ei non alterius quam principis beneficio conceſſum eſt (t), (adde hic, quæ diximus capite

primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

primo ad mandatam Juriſdictionem & definitionem Juriſdictionis.): Imo ſi ſuo Jure non competeret, quomodo poſſit mandari in caſu abſentiæ (u)?

T. XI. Effectus meri imperii: *eſt animadvertere gladio in facinoroſos homines*, ut ex definitione patet: Animadvertere eſt punire (x), non quod in ſola pœna conſiſtat, nam æque conſiſtit in abſolutione, quam notione, nam ſi facinoroſi homines puniendi, probi contrario abſolvendı ſunt, quod neceſſario refertur aut ſaltem referri etiam ad merum Imperium debet (y): Gladii tamen poteſtas appellatur, quia magis in executione & condemnatione vis ac poteſtas imperii elucet, ideoque interdum abſolute imperium appellatur (z), non ita tamen, ut & præter condemnationem & abſolutionem non requiratur cognitio, nam hæc cognitio magni in mero imperio etiam momenti eſt, imo de natura ejus, nam nemo indicta cauſa dammandus (a): quod magis eſt, in capitalibus multo major & accuratior cauſæ cognitio adhibenda eſt, quæ ſi ceſſaverit Tyranidis potius, quam juſti imperii ſpeciem præbebit (b). Quid multis moror? In cognitione & judicatione totum hujus imperii officium conſiſtit, (c) quid enim alias publici Judicii exercitio? Quid Judicium? *Ligitima* (ni fallor) *cauſæ diſceptatio inter actorem & reum coram judice litis finiendæ gratia*(d). Quid exercitio judicii? Hac non tantum executio, ſed & cognitio & judicatio intelligitur (e): Neque ideo dicitur merum, quia nulli notioni cohæret, ſed merum in oppoſitione ad mixtum imperium. Diſſentit ex hac parte (f), Hillingerus à Donello quia, inquit, merum vinum non dicitur, cui non tantum aqua, ſed nec alius quivis liquor admixtus eſt, & quia, ſi jam mero imperio admixta foret notio, merum dici non poſſet. Hæc ſane craſſa mihi videtur philoſophatio, quaſi vero nihil poſſit dici mixtum, in oppoſitione ad aliud: ſic vinum, ex diverſis uvis confectum merum appellamus, reſpectu ejus, quod aqua aut alio diverſi generis liquore dilutum eſt, quod tamen per ſe ac naturam mixtum eſſe, quis neget? & præterea mixtum imperium non dicitur, quia Juriſdictio ei admixta eſt, ſed quia illud Juriſdictioni eſt admixtum; at ſic non merum; nam notio admiſcetur potius mero, non merum notioni & ideo nec mixtum dici poteſt, nam poteſtas in imperio principaliter eminens continet & ipſam notionem, non con-

tra

t L. 5. ff. h. t.

u L. 1. pr. d. offic. ejus.

x L. 1. §. 28. d. injur. l. 10. C. d. Epiſc. & Cleric.

y L. 6. pr. d. offic. proconſ. Bald. ad l. 3. ff. h. t.

z L. 2. d. in jus voc. & l. 1. quod, quis, Juris in alter.

a l. 5. d. pœnis.

b Muſcor., h. t. n. 6.

c L. 6. pr. d. offic. proconſ. l. 1. pr. d. offic. ejus.

d Cujac. parat. d. Judiciis.

e L. 15. ratam rem hab. l. 1. C. d. Judiciis l. lite C. d. uſuris.

f Don. l. 8. c. 8. litt. U. U.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

tra. Nec tamen ideo adeſt Juriſdictio, nam qui hoc arbitratur prius caput perlegat, ut Juriſdictionem cognoſcat, quam ſi quis cum notione confundat, tota errat via.

T. XII. Iſta porro diximus Gladio exerceri imperia, tropus eſt in eo, nam ſpecies ſumitur pro genere, omnem autem coërcitionem comprehendit, ſicut enim haſta inſigne Civilium ſic Gladius criminalium erat, & qui illis præerant gladio cingebantur; ut & ex ſacris litteris diſcitur (g): imo gladii uſum ſolum ad tempora D. fratrum vigiſſe conſtat ex noſtro Jure; adde, quod & perduellionis rei, qui graviori ſupplicio afficiuntur (h), gladio feriri Jubentur (i); ut levitate verbi (ut quidam putant) triſtitia rei mitigaretur (k). Gladii hoc Jus vocitarunt Hebræi ſceptrum occidendi & vivificandi (l). Et omnes gradus, ut de noſtra imperio diximus, comprehendebat.

T. XIII. Diximus porro in definitione facinoroſos homines, continentur igitur ſub hoc imperio & animadvertitur in homines non in bruta, ſecundum illud comicum: *adeone ferox es quia habes imperium in belluas* (m)? Niſi quatenus interdum brutum obfacti horrorem hominum oculis eximi debet (n). Non propter delictum, quod in beſtias non cadit (o), ideoque ſi damnum intulerint, non damnnm, quod proprie injuria & conſulto fit, ſed pauperiem feciſſe dicuntur (p).

T. XIV. Cæterum inter alios ejus effectus non recte refertur Jus mandandi, quod ne quidem in cauſa abſentiæ regulariter procedit, excepta exercitione legis Juliæ de Vi (q), de qua hoc nominatim cavetur, quod cum ſpecialiter admodum conceſſum ſit ad caſum infirmitatis hoc extendi poſſe, non auſim aſſerere, licet quidem eadem ratio videatur militare. Imo nec cognitio meri imperii mandari poteſt, niſi forte Legato Proconſulis, quod & valde extra ordinarium eſt (r): nec ideo quis putet, diverſam eſſe cognitionem ab imperio, nam ipſe inquit Ulpianus: valde extra ordinem mandari hanc, quia gladii poteſtas alteri mandata transferri non poteſt, ergo plane eadem ſunt; quod tamen executio ei mandari non potuerit, exinde eſt, quia ſplendor ac Majeſtas imperii in eo maxime elucet. Ratio autem, quare merum imperium non poſſit mandari, eſt; quia de vita ac ſorte hominum poteſtas,

g Epiſt. Paul. ad Rom. c. 13. v. 4. adde l. 3. C. d. L. Jul. d. Adult.

h L. 8. §. 2. l. 9. C. d. re militari.

i L. 5. C. ad L. J. d. Adult.

k Faber ad l. 70. d. R. J.

l Hill. ad Don. Enucl. 18. c. 8.

m Ter. Eunuch. act. 2. Sc. 3.

n Levit. 20.

o L. 1. §. 1. ſi quadrup.

p toto T. d.

q L. 1. pr. d. offic. ejus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

ſingulis leviter concedi non debet, niſi ingenium ac ſolertia illorum, quibus hoc concedebatur cognita, ac principi perſpecta probe ſit.

T. XV. Finitur merum imperium eodem modo ac Juriſdictio.

CAPUT III.

De foro competenti.

T. I. DIſperſam jam ac diffuſam in tot capita Juriſdicundi poteſtatem, vix quis dixerit ſe noſſe, niſi quibus circumſcriptam finibus, quibus terminis incluſam, probe toto animo ac viribus intenſis reputaverit; cum enim hi de certis ſolummodo cauſis, hi de omnibus Jus dicerent, hi territorio in judicando adſtricti fuerint, quod Magiſtratus egreſſus æque ac unuſquiſque ex populo privatus eſt (a), non parum erit ſciviſſe, ubi unumquemque agere, ubi conveniri oportet: Atque hæc dicitur *Juriſdictio competens*, (b), *tribunal competens* (c), *& forum competens* (d).

T. II. Alii *forum* à fando, alii à foras, quia ſub dio fiebat, natum exiſtimabant: At optime Varro à ferendo derivatum docet (e), quia illic merces & lites ſuas ferebant. Inde conſtat duplicem eſſe fori uſum, alium *Judiciarium*, unde Jus fori (f); diſputatio fori (g) præſcriptio fori (h); foro interdicere (i), & ſimiles Phraſes: Alium *Mercenarium*, unde foro cedere (k), uti foro & cæteræ iſtiuſmodi.

T. III. At hæc ad locum magis pertinent, ideoque miſſa facimus, quoniam magis de Jure diſputandum nobis eſt; atqui in hoc ſenſu definio *forum; locum aut potius Jus, ſecundum quod unuſquiſque certo loco agere & conveniri debeat.* Quod ſi obſervetur, Juriſdictio dicitur competens, ſin minus incompetens (l). Conſtituitur autem hoc Jus, vel *ex partium conſenſu*, ſive prorogatione, de qua egimus capite primo vel ex *auctoritate Juris*, quod quiſque invitus ſortirur. Ex hoc ſecundo capite nata eſt prima illa actrizisſima regula; *Actor ſequitur forum rei:* Æquiſſima quidem ratione, nam cum actoris ſolummodo fere intereſſet, neceſſario debet reum, qui maluiſſet non conveniri, ſequi e-ſecundum Regulam Juris: *In eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris* (m). *Et fauorabiliores rei habentur, ac actores* (n). Excipe tamen ingenere pri-

a L. 3. d. offic. præſ. & l. ult. ff. h. t.
b L. 1. C. h. t.
c L. 35. §. 2. de procur.
d Rubr. h. t.
e Varr. l. 4. d. ling. lat.
f L. 7. q. ſatiſd. cog.
g L. 2. §. 5. d. O. J.
h L. ult. C. d. exc. & ſim.
i L. 9. §. 4. d. pœnis.
k L. 7. §. 2. depoſit.
l Vid. Vult. ad. l. 1. h. t.
m L. 33. d. R. J.
n L. 125. d. R. J.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

privilegiatos & in ſpecie primo defamantem, qui vocatus debet ſequi forum defamati, ad id, ut probet quod intendit vel alias ei perpetuum ſilentium imponatur (o): ac ſecundo cohæredes, aut alios, qui Judicibus univerſalibus conveniuntur, qui debent venire ac accedere ad eum locum, ubi cum uno hæredum agitur (p), ne diſtrahatur continuitas cauſæ: vel denique in cauſa reconventionis (q).

T. IV. Forum reus ſortitur vel *privilegio*, vel *Jure communi*, Jure communi rurſus tribus modis: Primo *Domicilio*. Secundo *re ſitâ* & 3. *re geſtâ*, Primo igitur de domicilii foro videamus, quod rurſum triplex eſt, vel *Reipublicæ*, *originis* vel *habitationis*. *Reipublicæ Domicilium*, quod & commune vocatur (r), eſt ipſa Urbs Roma (ſ). Principio civitatis omnes, qui extra urbem degebant, Peregrini erant; at Antoninus Imp. effecit, ut omnes, qui in orbe Romano habitabant Cives haberentur, atque ita omnes Jure Civitatis donavit (t): hoc autem Jus, ut Carolus Sigonius notat (u), competebat aliis pleniſſime, nimirum, qui domicilium in urbe habebant; & hi poterant Suffragium ferre; vel minus plene, nimirum iis, qui extra urbem habitarent, &c. Illi tantum habebant rerum quotidianarum cum aliis civibus commercium, ut ſucceſſionis & munerum adipiſcendorum Jura, de quibus omnibus vide alibi. Roma igitur communis patria erat, ac Secundum Jura conſtituta omnes verſantes (x) in Urbe Roma, reperti illic conveniri poterant (y), præterquam qui Jus revocandi domum habebant, quod fuit Legatis non tantum Romæ, ſed & aliis locis, ſi ex contractu ante legationem inito convenirentur (z), aliiſque qui ſuis locis enumerantur (a). Excipe tamen: ſi contraxerint poſt evocationem aut legationem, vel Romæ deliquerint, tum enim Romæ conveniri poterant (b), non autem ſi hereditatem adierint, quod peculiare videtur in legatis (c). Coincidit hoc Jus revocandi cum exceptione declinatoria, & utrumque competit omnibus, qui vel lege vel privilegio extra domicilium conveniri non poſſunt & utrumque debet opponi ante litem conteſtatam, differunt tamen, nam in hoc Juriſdictio prorſus non negatur, ſed cauſa petitur remitti ad eum locum, ubi peragi debet, in exceptione declinatoria plane recuſatur Juriſdictio. Pontifex Romanus Simia Juris Civ. & hodie ſedi ſuæ hanc poteſtatem vindicat, eamque Eccleſiarum ma-

o L. diffamari 5. C. d. ingen.

p T. T. quib. cauſ. ad eund. Jud. Lat. & & l. 10. C. h. t.

q Vid. Hub. n. ult. d. Jud.

r Donell. l. 17. c. 10.

s L. 33. ad munic. l. 6. §. 11. d. excuſ.

t L. 7. d. S. H.

u C. Sig. d. Jure Civ. R.

x L. 2. §. 4. & ſeq. d. Judic. juncta l. 19. eod.

y L. 28. §. 4. ex quib. cauſ. major.

z Vid. Donnel. l. 17. c. 13.

a L. 2. §. 3. l. 24. & 26. ff. d. Judic.

b d. l. 24. §. 1. eod.

c d. l. 26. eod.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

trem & Magiſtram vocat, ideoque tanquam forum commune conſtituit (d). At quid hæc ad nos? Poſt hoc generale domicilium ſequuntur duo ſpecialia & Primo originis, quod cum Struvio definio *forum, quod filius vel libertus in illo loco habebat, ubi pater legitimus vel patronus ejus eſt Civis ſive Municeps, vel mater, ſi patria ejus præcelleret* (e), quod tum, in honoribus & muneribus ambiendis (f), tum in Jure conveniendi & ſortiendi forum maxime conſiſtit (g) nec obſtat, quod Ulpianus dicit: *Provinciales eos accipere debemus, qui in Provincia domicilium habent, non eos, qui ex Provincia Oriundi ſunt* (h). Hic autem ſtrictiori ſignificatione ſumitur Provincialis pro eo, qui ibi degit, & ita differt ab eo, qui ex ea eſt oriundus, quemamodum civis ab incola. At quoniam hoc forum hodie in deſuetudinem abiit & ab uſu receſſit, ita ut ſi quis, ubi vel ipſe oriundus vel pater ejus fuit, ſi alio degere cæperit non poſſit conveniri, ſi eo rurſus loco non contraxerit, vel prorogando ſeſe ſubjecerit: ad Tertium domicilii forum, quod utilius ſane eſt, progredior. Hoc definio *cum Donello* (i) *locum, ubi quis habitat animo perpetuo conſiſtendi.* Forum domicilii ratione habitationis eſt *voluntarium* vel *neceſſarium* (k). *Voluntarium eſt ubi quis propria voluntate ſedem* fixit; & in illo requirirur Primo ipſo facto habitatio, nam ſola animi cogitatione illud non conſtituitur (l), niſi quis enim jam de facto incipiat transferre domicilium, qui vero tantum navigat ad locum ſine domicilio eſſe videtur (m). Secundo animi deſtinatio, nam & ſola habitatio non ſufficit, cujus exemplum habemus in ſtudioſo (o); quæ deſtinatio conſtabit aut expreſſa declaratione, aut aliquo facto (p), nimirum ſi illic cum lare rerum & fortunarum omnium ſummam contulerit (q) aut illiç per decennium commoratus ſit, niſi certum omnimodo ſit, ac palam conſtiterit, illic habitandi animo non veniſſe, ſed ſtudiorum aliarumque negotiationum cauſa, tum autem ne quidem per mille annos domicilium conſtituet (r) de aliis autem conjecturis, quibus facta præſumitur habitatio vide *Aliciatum* alioſque (s). At ſi de animo conſtet nullis opus eſt conjecturis, imo licet majorem partem bonorum alio collocaverit (t): qui vero ſeſe pluribus locis inſtruxit animo ut habitet omnibus conveniri poteſt, & illectio eſt actoris (u); qui vero vagabundus eſt, aut fugit de loco ad locum omnibus conveniri poteſt, ſive ubicunque reperitur vel plurimum verſatur

d L. ult. d. foro competenti.

e L 1. §. 2. l. 6. §. 11. ad Munic.

f L. 15. & 17. eod.

g L. 26. eod.

h L. 190. d. V. S.

i Donnell. d. l.

k Mat. Steph. lib. 1. d. Juriſd.

l L. 20. & 27. ad Munic.

m L. 27. §. 2. eod. & l. 17. d. Judic.

o L. 2. C. d. incolis.

p d. l. 20. & 27. ad Munic.

q L. 7. C. d. Incol.

r Meno. 2. arb. cum 86. n. 6. & 7. Vult. in d. l. 2. d. Incol. n. 19. & ſeq.

s Alciat. in l. 239. §. 2. d. V. S.

t Meno. d. l.

u L. 5. & 6. ad Mun. arg. l. 4. d. eo quid certo loc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

tur detineri poteſt (x). *Forum domicilii neceſſarium*, eſt *quod officii vel conditionis gratia quis tenere cogitur*; qualis *Primo* eſt Senatoris qui in urbe Roma habere domicilium debet (y), quod & dignitatis appellabatur (z). *Secundo* Clerici, qui beneficii gratiâ debet domicilum contrahere, ubi officium ejus exigit, niſi locus ſpecialis ipſi fuerit conceſſus (a). *Tertio* militis, qui debet habitare, ubi mæret, niſi forte multa alia bona poſſideat (b); nam tum non videtur ſe totum militiæ obtuliſſe. Sic quarto Uxoris mariti forum ſequitur, ut & vidua (c). Servi autem *neceſſarium* habent domicilium magis, quam *voluntarium*, quia pro nullis reputantur in Jure, nec velle poſſunt (d); niſi fuerit cauſa ſtatus peragenda, nam tunc, ſi ſervus fuerit in poſſeſſione libertatis, ea peragi debet, ubi ſervus habitavit (e); at ſi proclamet ad libertatem neque in poſſeſſione ejus eſt, ſervatur domicilium domini (f). Quod ad famulos noſtros nequis extendat, qui forum ipſi contrahere poſſunt; At illic tamen, ubi operas ſuas locant, videntur debere conveniri, ſi tamen dominus privilegiatum forum habet, & hos, quia huic operas præſtant, iſtis privilegiis frui poſſe verius eſt (g).

T. V. Hoc forum domicilii generale eſt omnibus rebus peragendis & comprehendit, & concurrit Primo cum foro *rei ſitæ & rei geſtæ*. *Forum rei ſitæ* eſt *locus*, *quo res ſita eſt*, *qua propter & dominus illius rei illic conveniri poteſt*: At ſi non reperiatur eo loco, nec vocatus ſeſe Judicio ſiſtat? Reſp. qui eſt in poſſeſſione compellitur (h) id domino denuntiare intra tempus à Judice præſcriptum, quod ſi tamen non comparuerit, mittitur in poſſeſſionem, ſalvo tamen Judicio principali (i), nunquam in Jure noſtro ante litis conteſtationem quempiam condemnari legimus (k) ut fuſe probat Donellus; ſi igitur Vadimonium deſeruerit non condemnatur, ſed ſi contraxerit Eremodicium & poſt litem conteſtatam aufugerit ſententia contra abſentem fertur (l). Moribus autem hodiernis cum citatio fit ante litem conteſtatam, contumaciter abſentes damnantur in hunc modum: Reus ad Primam citationem non veniens perdit exceptionis *dilatorias*, & ad ſecundam *dilatorias*; ad tertiam *Peremptorias* (m); quare hodie non dubitandum, quin reus contumax condemnari poſſit. Graviter porro controvertitur de eo, quod in principio affirmavimus, nimirum; an hoc forum concurrat cum gene-

x Zang. d. excep. p. 2. c. 1. n. 5.

y L. 11. d. Senat.

z L. 9. C. d. incol.

a Vid. Bover. ſing. 2. n. 1. & Panormit. in C. qui tantum inf. d. cler. non reſid.

b L. 23. & fin. ad Munic.

c L. F. C. d. incol.

d L. 4. d. R. J.

e L. 3. C. ubi cauſ. ſtat.

f L. 4. C. d. Judic.

g Richter ad auth. habita C. ut ſi filius pro patre.

h L. 3. d. R. J.

i L. 2. C. ubi in rem act.

k Donell. l. 23. comm. c. 9.

l Nov. 69. c. 3. & l. 68. d. Judic.

m Gudel. l. 4. de Jure noviſſ. Gail. 1. obſer. 59. n. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

generali domicilii foro, id eſt, an actio in rem poſſit inſtitui, ubi quis habitat, & actor eligere, an reum, ubi ſedes ſuas fixit, an in loco rei ſitæ convenire velit: negant hoc Donellus & Hillingerus (n), affirmant doctores communiter: nobis communior ſententia placet: ſtatuimus igitur rei eſſe eligere, an in domicilii, an in rei ſitæ foro dominum velit convenire, ſive de poſſeſſione, ſive de proprietate contendatur (o); ſive res fuerint mobiles vel immobiles, ſeu ſingulares ſeu univerſales (p); idemque dicendum eſſe in Judiciis mixtis probabile eſt (q). Si igitur conveniatur actione in rem in domicilii foro, Provinciæ ejus Judex, lata jam ſententia, à Judice fori rei ſitæ petere poteſt, ut ſententiam exequatur, vel damnabit reum, ſi contumax noluerit reſtituere, quanti actor in litem Juravit (r). Leges, quas adverſarii afferunt videntur magis, quam revera obſtant (s) nam de foro proprio & ſpeciali quidem loquntur, ſed non excluſive. Ergo omnes cauſæ in foro domicilii poſſunt peragi, ſive res alio ſita vel alio geſta ſit, nihil intereſt: Excipe tamen cauſam reddendarum rationum, quæ ibi abſolvenda; ubi adminiſtratio facta eſt (t): & deinde excipe etiam miſſionem in poſſeſſionem; ratio eſt, quia, cum magis in jubendo, quam judicando conſiſtit, extra territorium fieri non poſſit, quia unuſquiſque extra ſuam Juriſdictionem eſt privatus (u).

T. VI. Sequitur Tertio *forum rei geſtæ*. Res dicitur geſta alicubi duplici modo: vel ubi contractus celebratus fuit, vel ubi delictum admiſſum eſt. De foro rei geſtæ ex contractu prius videamus. Per contractum hic intellige omnem obligationem (x), non hujuſmodi tantum, quæ in Inſtitutionibus definitur (y), ſed & omne factum, ex quo obligatio naſcitur (z). Ergo non tantum in vero: ſed & in quaſi contractu (a). Imo & in condictione indebiti (b). In contractu porro jam celebrato hæc duo obſervanda ſunt: aut *Primo* nihil eſt conventum de loco, & ſimpliciter, ubi res geſta eſt, reus poterit conveniri & ſimul (ut ante diximus) in foro domicilii (c), niſi venit ut confeſtim decedat, quemadmodum viator, qui eo loco, quo tranſvehebatur vel παραπλεῖ, contraxit eodem tamen loco conveniri non poſſe probat Ulpianus (d): contraxiſſe autem aliquis præſumitur, ubi conſumtus fuit contractus, non ubi initium cepit; vel ubi inſtrumentum ſcriptum eſt (e); Aut *Secundo* convenit de loco & hic lo-

n Donell. Enucl. lib. 17. c. 17.

o L. 19. §. 5. d. Judic. l. 7. C. de petit. hæredit. l. un. C. ubi in rem actio l. 10. d. R. V.

p L. ult. C. d. pet. hæred. d. l. un. C. ubi in rem act.

q Bartol. d. ad l. unic. in fin.

r L. 46. & 47. d. V. S. l. 5. & l. 8. d. in lit. Jurando.

s Nim. l. C. ubi d. poſſ. agend. l. ult. C. ubi rem actio.

t L. un. C. ubi d. ratiocin.

u Vid. c. 2. & add. l. un. C. ubi d. hær. l. 12. §. 1. d. reb. auct. Jud. poſſ. & Bart. & Caſtr. in d. l. un.

x L. omnem 20. d. Judic.

y Pr. Inſt. d. oblig.

z Ut in l. 19. d. V. S.

a L. 19. §. d. Judic.

b L. 27. d. Cond. indebit.

c d. l. 19. §. ult.

d d. l. 19.

e arg. l. 39. d. O. & A.

locus obſervandus eſt, quem contrahentes reſpexerunt; præſuppoſita ſemper voluntate actoris, nam ſemper generale domicilii cum hoc foro concurrit. Præſumuntur non ſolum elegiſſe contrahentes locum, quem expreſſe indicarint, ſed etiam in quem ſolutio collata eſt (f); qui vero certo loco ſolvere promiſit convenitur ibi non tantum ad ſolvendum, ſed etiam quoad damna & expenſas (g). Diſquiritur mirum in modum de effectu hujus fori inter D. D., quem ut intelligamus, diſtinguendum bene eſt; Nam *Primo* aut reus eſt in territorio, & illic conveniri poſſe nullum eſt dubium; aut *Secundo* vel poſſidet illic bona alia aut ipſam rem, de qua contractum eſt & utroque caſu fit miſſio in poſſeſſionem, præſuppoſito, quod venire nolit (h): aut *denique* nihil poſſidet, & tum effectum habere non poteſt, quoniam remiſſiones non niſi in capitalibus locum habent nam in re pecuniaria eas fieri in auditum eſt (i). Quid igitur faciet actor? Domicilium rei quæret, & illic rem ſuam perſequetur, & ſi ejus interſit alio loco fuiſſe ad impletum contractum vel ſolutum, perſequetur id actione de eo, quod certo loco (k). ſin igitur inveniatur in *foro rei geſtæ*, vel bona habeat conveniri poteſt; excipe tamen actionem perſonalem ex teſtamento, quæ non, ubi factum eſt teſtamentum, ſed in *loco Domicilii*, vel ubi hereditas aut major ejus pars eſt, vel ubi res legatæ ſunt, niſi alium locum teſtator præſcripſerit (l) & deinde excipe etiam Legatum (m), non quia revocandi Jus habet, nam omnibus iis negatur, ſed propter ejus favorem, modo ante Legationem contraxerit.

T. VII. Secundum *forum rei geſtæ* conſtituitur per crimen certo loco commiſſum, nam illic præſertim accuſari poteſt & debet, ubi deliquit (n); præſertim, inquam, nam ubicunque reprehenditur accuſatur (o), ita ut nec Legatus Romæ revocare domum, nec viri Clariſſimi delinquentes præſcriptione fori ſe defendere poſſint (p) itaque ſive in domicilio ſive alio quopiam, loco reperiantur puniri poſſunt (q), ſecundum illud JCtorum; ubicunque te invenio, ibi te punio: nec minus verum manet, quod actor rei forum ſequatur, nam hoc ubicunque locorum eſt. Remittendus tamen eſt reus, ad petitionem Magiſtratus delicti admiſſi, à Magiſtratu Domicilii vel cujuſque alterius, Etſi accuſatio jam cæpta, ad locum, quo

f L. 3. d. reb. auct. Jud. poſſ. l. 21. d. O. & A.

g M. Steph. d. Juriſd. 29. n. 6.

h L. 19. §. 1. d. Judic.

i L. 7. d. Cuſt. reor.

k L. 1. d. eo, quod cert. loc.

l L. un. C. ubi d. fideicom. l. 38. l. 51. pr. & §. ult. l. 52. §. ſi ea res l. 47. & 108. d. leg. 1.

m L. 2. §. 4. d. Judic.

n L. 1. & Auth. quæ Provinc. C. ubi d. criminib. l. 7. l. ult. d. accuſation.

o L. 11. d. cuſt. reor.

p L. 24. §. 4. d. Judic. l. un. C. ubi Senat.

q L. 3. & 13. d. offic. præſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

quo crimen perpetratum eſt (r), *quia rei publicæ inter eſt, ibi exempla publicæ vindictæ edi, ubi facinus commiſſum & cognitum eſt, ut & bonis ſatisfiat facto, vel exemplo læſis ac metus ad imatur & mali terreantur* (s). Unde jam multæ prodierunt quæſtiones, quo loco videatur crimen commiſſum, ſi vel forte in confinio facta cædes, aut in alterius territorio occepta in alieno perpetrata ſit, ut cum quis telo aliquem in alterius territorio ſtantem trajecerit: in his autem caſibus præventioni locum eſſe cum Cl: Mathæo puto (t). Quod ſi in aliena Provincia cædes mandata in alia commiſſa ſit, magis rationi couveniens arbitror, mandantem, ubi mandavit & mandatarium, ubi mandatum implevit, remittendum, non præventionis rationem habendam eſſe: De hac præventione controvertitur, quomodo de fiat, an per apprehenſionem, an citationem: nos per utramque poſſe exiſtimamus (t), potior tamen ejus cauſa erit, qui apprehendit (u).

T. VIII. Hactenus reus ex Jure communi convenitur, & forum ſortitur, ſed cum privilegii locus eſt, hoc Jus ceſſat plane, ac longe aliud obtinet. Quemadmodum igitur omne *privilegium* eſt vel *perſone* vel *reale*, ita & hoc privilegiam fori? Vel rei inhæret vel perſonæ. Quod rei inhæret, ſive *reale*, eſt, *quod ob favorem cauſæ, ipſi cauſæ tribuitur, atqui extincto, cui ea cauſa inerat, tranſit adhæredes.* Cauſæ iterum, quibus conceſſa hæc privilegia, ſunt, vel *Spirituales* ſive *Eccleſiaſticæ* vel *ſeculares. Spirituales* ſunt *quæ coram Judice Eccleſiaſtico peraguntur* (x) quales ſunt cauſæ matrimoniales (y); & deinde cauſæ decimarum & Patronatus (z), niſi de ipſa poſſeſſione agatur, tum ſecularibus Magiſtratuum officiis annumeranda (a). *Seculares* ſunt, *quæ ſpeciale forum exigunt:* quales ſunt *Primo* cauſæ ſtatus (b) & *deinde* cauſæ fiſcales (c), & *denique* feudales (d). *Perſonale Privilegium fori* eſt, *quod perſonæ inhæret & extincta perſona tranſit ad hæredes.* Perſonæ ſunt vel *actores* vel *rei.* Actores habent illud Privilegium, ita ut non cogantur præciſe rei forum ſequi, ſed ſtatim conveniunt eos in loco extraordinario: ſic Pupulli, licet defenſorem habeant (ſic enim, cum nunquam poſſint ſine tutore & curatore intereſſe Judicio, nullus locus remaneret privilegio) ſtatim conveniunt reos in Judicio principis, nimirum ſi cum potenti adverſa-

r L. 9. §. ult. d. accuſat. l. 7. d. Cuſt. Reor.

s Donell. l. 17. c. 16.

t Math. d. Judic. diſp. 4.

t arg. l. ſi quis 7. d. Judic. l. ult. C. d. in Jus vocand.

u Vid. Donell. l. 17. c. 19. & illic. Hilling.

x C. 3. d. Judic.

y C. 13. 28. de ſponſ. c. 16. d. offic. & pot. de leg.

z C. 26. de Decim. & c. 3. Judic.

a C. ult. d. Judic.

b T. T. C. ubi cauſæ ſtat.

c T. T. C. ubi cauſ. fiſc.

d Vide Duaren. l. 2. d. Juriſdict. c. 9. n. 84.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

ſio illis agendum eſt (e); eodem modo viduæ, non quæ ſeni nupta eſt, quam Plautus *viduam & nuptam ſimul* vocat (f), & cujus Petronius *noctes viduas* appellat (g), nam imputet ſibi, quod ſeni nupſerit, licet aliter quæ virum inutilem habeat, hoc privilegio utatur, modo ſit inutilis ad defenſionem uxoris, ut ab hoſtibus captus, & ad triremes damnatus (h), quia eadem eſt ratio: Viduam etiam intellige, quæ virum nunquam habuit (i). Adde etiam iis miſerabiles perſonas, quæ vero miſerabiles ſint ipſi Judici arbitrandum (k), non autem, ut quidam volunt, Judæis noviter baptiſatis, advenis, ruſcitis, imo, quam jucunde, etiam meritricibus: nam licet illi, qui fortuæ injuria miſerabiles ſunt, hoc utuntur privilegio, non tamen qui ipſi ſibi malum turpiter intulerunt, quemadmodum meritrices (l). Pauperes tamen excludi non auſim dicere, nam hi revera fortunæ injuria miſerabiles, ut dicta lex reqiurit (m); niſi ſeſe ipſi in hanc calamitatem injecerint (n). *Secundo* rei habent privilegium: quorum *Primo* loco ſunt milites, qui coram Magiſtratum militum ſunt conveniendi (o). 2 Senatores & clariſſimi in cauſis civilibus & criminalibus, qui in urbe tantum conveniuntur; & illic apud Præfectum Prætorio vel urbi vel Magiſtratum officiorum adſentiente principe (p). 3 Illuſtres, quia & in criminalibus cauſis privilegium conceſſum eſt & accuſantur in conſiſtorio principis (q). 4 Principis officiales, quos delinquentes ipſe Princeps Judicat (r). 5 Clerici, qui coram Judice Eccleſiaſtico conveniendi (s), niſi actio rei ſitæ inſtituatur (t): at nos qui novimus omnem animam Poteſtati ſeculi ſubjectam (u) eſſe flocci hæc facimus: & profecto initio Chriſtianiſmi nullam Eccleſiaſtiticæ Juriſdictionis cognitonem extitiſſe conſtat; diſciplina enim eccleſiaſtica & cenſura morum, quæ in ſacris litteris reperitur (x), quæ tunc temporis acriter exculta fuit, nihil cum Juriſdictione habet commune (y). Et exprobandi delicta ac à communione arcendi poteſtas non imminuit Magiſtratuum officia, quia hæc ſpiritualia ſunt, quibus ſeſe ſubjicere ſincere ac pie ſummi monarchæ haud dubitarunt (r). Sic & Philippus imperator & Thodoſius major correptiones Epiſcoporum æquo animo tulerunt (a.) At de his intranſitu. 6 Studioſi, qui tantum ad Magiſtros ſuos vocantur, (b) at hæc Ultrajecti ab uſu receſſerunt, ita ut non lubeat diſputare, an in criminalibus

e L. un. C. quando imp. int. pupp. & vid. & Vult. ad D. L.

f Plaut. in Milit. act. 4. ſc. 1.

g Petron. in Satyris.

h Vid. Menoch. c. 66. n. 2. & Wieſemb. C. ad h. t. n. 2.

i arg. l. 242. d. V. S. §. Viduam.

k Vid. Me- d. l.

l L. 4. §. 3. d. condict. ob turp. cauſ.

m Adde l. 49. d. Epiſc. & Cleric.

n Covarr. pract. q. q. c. 6. n. 3.

o L. 3. d. R. Milit. l. 6. h. t.

p T. T. ubi ſen. & clar.

q Vid. Matt. de Judic. diſp. 4. n. 3.

r Vid. Perez. C. h. t. n. ult.

s Auth. ſtatuimus C. d. Epiſc. & Cler.

t Auth. Clericis C. eod.

u Rom. 13. v. 1. 1 Petr. 2. v. 13.

x Eſaia 58. v. 1. & Ezech. 3. v. 18. & c. 33. v. 7. & Tim. 5. v. 20. & 2 Tim. 2. v. 25.

y Joach. Steph. l. 4. h. t. c. 2. n. 18.

z Sam. 12. v. 13. 2 Reg. 20. v. 19.

a C. cum apud. 69. c. 11. q. 3.

b Auth. habita C. ne filius pro pat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

nalibus æque ac in civilibus hoc privilegio gaudeant; per Studioſos tamen intellige, qui ad liberales artes ſerio animum adjungunt non Veneri Bacchoque deditì luxurioſam vitam agunt (c).

c D. D. communiter in d. Auth.

T. IX. Diſquiritur hic etiam an privilegiatus contra privilegiatum poſſit uti ſuo privilegio, quod, ſi æque forte & ejuſdem cauſæ & rei ſit, negamus (d).

d Per. l. 8. pr. d. excuſ. tut. & l. 11. §. 6. d. Minor.

T. X. Finitur privilegium primo renuntiatione de qua ſupra diximus, quæ valde affinis prorogationi (e) & deinde quemadmodum omnia privilegia extincta re vel cauſa aut perſona. Et ſic etiam noſtra diſputatio.

e L. penult. C. d. pactis & l. 2. d. O. & A.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

IN extrema famis neceſſitate non committitur furtum.

II.

Filio exheredato poteſt dari tutor,

III.

Ex teſtamento imperfecto heredem in conſcientia obligari placet.

IV.

Teſtamentum, præterito poſthumo, æque ac jam nato, factum ipſo Jure nullum eſt.

V.

Venditor tenetur præciſe rem tradere, nec liberatur præſtando intereſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 H 155